Universitätsbibliothek Mannheim

# Mvndi synopsis siue de imagine mvndi libri tres, ab Honorio Solitario Augustodunense ante annos quadringentos sexaginta tres scripti, quorum tertius hactenus nunquam visus, tam vero una cum duobus ...

Honorius <Augustodunensis>

Spirae, 1583

urn:nbn:de:bsz:180-digad-4478

Visual Library

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

UB Mannheim
DFG

C. B

Hiſ 54/58

H 220 D 3

1–6
3

UB Mannheim

# MVNDI SYNOPSIS:

Siue,

# DE IMAGINE MVNDI:

## LIBRI TRES.

Ab

*HONORIO Solitario AVGVSTO-DVNENSE ante annos quadringentos ſexagintá tres ſcripti. Quorum tertius hactenus nunquam viſus: [...]am verò vnà cum duobus prioribus ex vetuſto manu-ſcripto Codice primum in gratiam ſtudioſorum luce donatus, prodit.*



B D

*Spiræ ciuitate veterum Nemetum:*

Apud Bernardum Albinum.

*Anno* CIↃ. IↃ. LXXXIII.

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

# TYPOGRAPHVS BENEVOLO Lectori. S.

NOn ſane iniuria Magnus ille Deſyderius Eraſmus Roterodamus, vir incomparabilis, & literaturæ politioris inſtaurator hoc noſtro ſeculo haud poſtremus, in Chiliadibus ſuis Adagiorum, cum Prouerbium illud Σπεῦδε βραδέως, & inſigne Typographicum Aldi Manutij, Delphinũ anchorę circumdatum, explicat & commendat, de Typographis quibuſdam querelam inſtituit, quòd neglectis veterum monumentis, Neotericorum tantum ſcripta diuulgẽt, qui, vt Poëta ille ait ſolummodo dulci animos novitate tenent. Vnde fiat, vt veterum monumentis antiquatis, omnibus omnium nænijs terantur bonæ horæ, vetuſtas nullo loco ſit, collaban-

tur & ſpernantur authoritates, novitas vbique obtineat, ex veterum laboribus, mutatione vnius aut alterius ſententiæ, verbi aut ordinis gloriola captetur & fucus fiat, tandemq́; in omnes ſcientias incertitudo quædam irrepat & hac ratione nobis id eueniat, ꝙ Plautus in Pſeudolo ait. Certa amittimus, dum incerta petimus. Quare ne in eandem apud literatos incurrerem repræhenſionem malui vetuſtiſſimum hunc authorem HONORIVM AVGVSTVDVNENSEM, operis typiſque meis (vt ita loquar) novitijs Typographicis, ex tenebris vindicare, inq; Theatrum literarium denuò quaſi poſtliminio accerſere & producere, quàm Novitates quorundam indies emergentium novorum hominum lectori obtrudere. Sperans, ſi ijs, qui opera antiquioribus elaborata temporibus reſtituunt, propter cōſeruatam antiquitatem habentur gratiæ, me reſtituendo probatos longo tempore authores, aliquas etiam apud æquos beneuoloſque Lectores reportaturum gratias. Præſer-

tim

tim in reſtitutione eorum, qui ſtudioſam Iuventutem non moleſta colluvie præceptorum onerant ( ſicut hoc olim perplurimi ſtudio habebant, laudiq; ſibi ducebāt:) ſed illam ſuccincta & dilucida methodo tradendi quaſvis artes & facultates ſublevant. Qualem hunc noſtrum authorem reuera eſſe, facile quivis in huiuſmodi literaria verſatus palęſtra, atque humanioribus imbutus artibus poterit intelligere. Complectitur enim vno in opuſculo compendioſè Totius Mundi Obſeruationem, & vno quaſi in conſpectu & intuitu proponit ea omnia quæ in Mundo ſunt cōſyderanda, & notanda, ingenijſq; liberalibus aſſidua meditatione recolenda. Quo quid poteſt mirabilius & vtilius accidere tanta in brevitate?

Præfiximus autem hic ex Iohanne Trithemio Abbate Spanhemenſi, & Fr. Sixti Senenſis ſancta Bibliotheca teſtimonia de authoris vita, quò de ipſius doctrina, & qua ætate admirabilis fuerit conſtaret: Itemque ſubiunximus, ne quid Lectoris vſui deeſſet, Indi-

cem copioſum.

Hoc igitur noſtro labore optimè Lector vtere, fruere feliciſſimè, noſtrâq; impenſam operam, in re literaria promovenda boni conſule. Vale.

# IOANNES A TRITTENHEM
## Abbas ſpannhemenſis.

HOnorius Auguſtudunenſis Eccleſiæ Præsbyter, & ſcholaſticus vir in ſcripturis ſtudioſiſſimus, & valdè eruditus atque in ſecularibus ſcientijs nobiliter doctus ingenio ſubtilis, & clarus eloquio. Scripſit multa pręclara opuſcula, de quibus ipſe per ſe in libro illuſtrium virorum, quem prænotauit: Dę luminaribus Eccleſiæ recenſuit ſubiecta. Opus valde neceſſarium de Chriſto. De Eccleſia, & dę futura vita, quem prænotauit: Elucidarium lib.3 De libero arbitrio lib.1. Sigillum Sanctæ Mariæ lib.1. qui incipit; Dicitis vos mirari cur. Speculum Eccleſiæ ſiue ſermonum lib.1. offendiculum de ſacerdotibus lib.1. Summam hiſtoriarum lib.1. Gemmam animæ de officijs Diuinis lib.6. qui incipiũt: Agmen in caſtris æterni. De imagine mũdi lib.2. qui incipiunt: Mundus itaque dicitur. In cantica canticorum lib.1. qui incipit: in Principijs librorũ. De lu-

minaribus Eccle. lib. 1. qui incipit: Gelaſius vrbis Romæ. De corpore Domini lib. 1. In Hexameron lib. 1. De Deo & vita æterna lib. 1. De anima lib. 1. Scalam cœli, de gradibus viſionum lib. 1. Clauē Phyſices de naturis rerū lib. 1. In toto Pſalterio lib. 1. In Euangelia homeliarum lib. 1. De Papa & Imperatore lib. 1. Dialogum ex opuſculis Anguſtini lib. 1. Refectionem menſium de feſtis lib. 1. Pabulum vitæ de ſanctis lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. Alia inſuper multa edidit, quorum titulos inuenire necdum potui. Claruit ſub Henrico quinto, Anno Domini M. CXX.

Addit Geſnerus in ſua Bibliotheca quod etiam commentaria in libros Solomonis ſcripſerit, & quod libri duo De imagine mundi Anſelmo Cantuarienſi à quibuſdam adſcribantur. Verū hunc errorem ipſe hic author noſter refutat in hac ſua Synopſi lib. 2. cap. 93. vbi expreſsè dicit, quod hos libros ſcripſerit anno Domini milleſimo centeſimo, & vigeſimo, quadraginta videlicet annis poſt Anſelmum.

Et

Et Philippus Bergomas in ſupplemẽto chronicorũ lib. duodecimo Anſelmo vnicum tantùm de Imagine mundi adſcribit. Abbas quoq; Spanhemenſis inter ſcripta Anſelmi lib. de Imagine mundi non recenſet.

## FR. SIXTVS SENENSIS in ſua Bibliotheca ſancta ad Pium Quintum lib. 4.

HOnorius Auguſtudunenſis Ecclesiæ Præsbyter, in Diuinis voluminibus aſſidue verſatus, & omnibus liberalibus artibus imbutus, ſcripſit Latino, & eloquenti ſermone in Hexamęron libr. vnum. In Pſalterium librum vnum in cantica canticorum librum vnum. qui incipit: in principijs librorum. Claruit ſub Henrico quinto Imperatore anno Do. M. CXX.

# EPISTOLA CHRISTIANI AD HONORIUM Solitarium, quendam.
## De Imagine mundi.

Septiformi ſpiritu in trina fide illuſtrato, ac ſeptenis riuis triuariæ Philoſophiæ mundato Chtiſtianus.

Poſt ſeptimanam huius vitæ ſeptem beatitudinibus laureari, & in octaua trinitatem in vnitate contemplari. Quia ignorans cum ignorantibus ignorantię tenebris involuor: idcirco mœſtam lugubremque vitam, vt cœcus ducere videor. Quare quia te immenſa ſapientiæ luce circumfuſum cognoſco, cum multis alijs depoſco, quatenus aliquã ſcintillulam tuæ flammivomæ ſcientiæ, cum tibi non minuatur nobis impertias. Expoſitionem orbis quaſi in tabella nobis deſcribas. Miſerum enim

vide-

videtur res propter nos factas quotidie ſpectare, & cum iumentis inſipiẽtibus, quid ſint penitus ignorare.

## *EPISTOLA HONORII AD Chriſtianum, de eodem.*

SApientiæ alumno abdita diligenter ſcrutanti, in ſcientia profundo vtiq; hominis ſalute nunc vigere, & poſt in Syon Domini, à quo omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ ſunt abſcõditi oculo, ad oculum videre.

CVm iugiter lectioni ſtudioſus incũbas, ac totius ſcripturæ medullam ſitibundus exſugas: Poſcis à me amiciſſime, vt quemadmodũ vulgo dicitur. Quod ouis à capra petierit lanam. Totius orbis tibi depingi formulã, in qua ſic oculum coporis valeas reficere ſicut viſum cordis ſoles in machina vniuerſitatis depaſcere. Quod negotium ſudore plenum ipſe melius noſti, quam ſit laborioſum, quamq; periculoſum. Laborioſum quidem mihi in alijs occupato. Periculoſum autem propter inui

dos, qui cuncta quæ nequeunt imitari, non ceſſant calumniari, & quæ aſſequi non poſſunt veneno ſo dente, vt Satyger hircus lacerare non omittunt, & ea quæ publice arguunt, furtiue intente legunt. atque de labore noſtro ſibi ſcientiam vſurpant. Quem vt ſues margaritas pedibus proculcant. Etenim verò cùm non ſolùm laborem meum, ſed & meipſum tibi debeam, præſertim cùm me non mihi ſoli, ſed toti mũdo genitum intelligam, omittens inuidos tabeſcentes non me, ſed ſeipſos liuido corde corrodentes, ardua aggredior molimina. Quia improbus labor, imò caritas vincit omnia. Ad inſtructionem itaque multorum, quibus deeſt copia librorum, hic libellus edatur: nomenq; & Imago mundi indatur, eo ꝙ diſpoſitio, totius orbis in eo, quaſi in ſpeculo conſpiciatur. in quo etiam noſtræ amicitiæ pignus poſteris relinquatur. Hic nihil autem in eo pono, niſi quod maiorum commendat traditio.

DE

# DE IMAGINE MVNDI, LIBER PRIMVS.

## *DE FORMA MVNDI Cap. I.*

*MVndus dicitur quaſi vndiq; motus, eſt enim in perpetuo motu. Huius figura eſt in modum pilæ rotunda. Sed inſtar oui elementis diſtincta. Ouum quippe exterius teſta vndiq; ambitur, teſtæ albumen, albumini vitellum, vitello gutta pinguedinis includitur. Sic mundus vndiq; cælo, vt teſta, circumdatur, cælo verò purus æther vt album, ætheri turbidus aër, vt vitellum, aëri terra, vt pinguedinis gutta includitur.*

*Etymologia mũdi.*

*Figura mundi qualis.*

## *DE CREATIONE MVNDI: Cap. II.*

*CReatio mũdi, quinq; modis ſcribitur. Vno quo ante tempora ſecularia immenſitas mundi in mente Diuina concipitur, quæ con-*

*Quinque modi creationis mũdi.*

*Primus.*

ceptio archetypus mundus dicitur, vt ſcribitur: Quod eſt factũ in ipſo vita erat. Secun-
Secundus. dò cum ad exemplar archetypi, hic ſenſibilis mundus in materia creatur, Sicut legitur: Qui manet in æternum creauit omnia in ſi-
Tertius. mul. Tertiò, cùm per ſpecies, & formas ſex diebus hic mundus formatur, ſicut ſcribitur. Sex diebus fecit Dominus opera ſua bona valde. Quartò cum vnum ab alio, vt pote homo
Quartus. ab homine, pecus à pecude, arbor ab arbore, vnumquodq; de ſemine ſui generis naſcitur. Sicut dicitur: Pater meus vſq; modò opera-
Quintus. tur. Quintò cum adhuc mũdus innouabitur, ſicut ſcribitur: Ecce noua facio omnia.

## DE ELEMENTIS. Cap. III.

Elementa vnde dicantur. Quot ſint Elementa

ELementa dicuntur, quaſi Hyle ligamenta, ὕλη autem eſt materia, ex quibus conſtãt omnia. Scilicet, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Quæ in modum circuli in ſe reuoluuntur, dum ignis in aërem aër, in aquã aqua in terram cõuertitur, rurſus terra in aquam, aqua
Quomodo inuicem viſceãtur Elemanta in aërem, aër in ignem commutatur. Hæc ſingula propriis qualitatibus, quaſi quibuſdam brachÿs ſe inuicem tenent, & diſcordem

ſui

Qui naturam concordi fœdere viciſſim commiſcent. Nam terra arida, & frigida frigidæ aquæ connectitur, Aqua frigida, & humida, humido aëri aſtringitur, Aër humidus & calidus, calido igni aſſociatur, Ignis calidus, & aridus, aridæ terræ copulatur. Ex his terra vt puta grauiſſima imum. Ignis vtputa leuiſſimus, ſupremum obtinet locum. Alia duo medium, quaſi quoddam ſoliditatis vinculum. Quorum aqua grauior, terræ proximum, Aër leuior igni primum poſidet locum. Deputātur verò terræ, gradientia, vt homo, & beſtiæ, Aquæ, natantia, vt piſces, Aëri volantia, vt aues. Igni radiantia, vt Sol, & ſtellæ. *Situs Elemētorum.*

## DE SEPTEM NOMINIBVS Terræ.
### Cap. IIII.

IMum elementum ſeptem nominibus denotatur, quia terra, tellus, humus, arida, ſicca, ſolum, Ops, nuncupatur. Terra à terendo dicitur, & totum elementum intelligitur. *Terra* Tellus quaſi tollens fructus, quæ eſt frugibus apta, vel vinetis, fructiferiſq; arboribus conſita. *Tellus* Humus, ab humore, quæ eſt paluſtris, & inarabilis. *Humus.* Arida inaquoſa, quæ ſemper feruore ſo- *Arida.*

*Sicca Solum Ops.* lis aret, vt Libia. Sicca, quæ aliquando compluta citò exſicatur. vt Iudæa. Solum à ſoliditate, vt ſunt montana. Ops, ab opibus, vbi diuitiæ, ſcilicet aurum & gemmæ abundant, vt in India.

## DE FORMA TERRAE.
### Cap. V.

*Terram eſſe rotundam.* TErræ forma eſt rotunda, vnde & orbis eſt dicta. Si enim quis in aëre poſitus eam deſuper inſpiceret, tota enormitas montium, & concauitas vallium minus in ea appareret, quàm digitus alicuius ſi pilam prægrandem in manu teneret. *Circuitus terræ.* Circuitus autem terræ, centum & octoginta milibus ſtadiorum menſuratur, quod duodecies mille miliaria, & quinquaginta duo computatur. *Terra mũdi centrũ.* Hæc centrum in medio mundo, vt punctus in medio circuli æqualiter collocatur, & nullis fulcris ſed Diuina potentia ſuſtentatur, vt legitur. *Terra nullis fulcris ſuſtentatur.* Non timetis me, ait Dominus, qui ſuſpendi terram in nihilo, fundata enim eſt ſuper ſtabilitatem ſuam, ſicut aliud elementum, occupãs ſuæ qualitatis metam. *Oceanus ambit terram.* Hæc in circuitu Oceano, vt limbo cingitur, vt ſcribitur, Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Interius meatibus

aqua-

aquarum, vt corpus venis ſanguinum penetratur, quibus ariditas ipſius vbiq; irrigatur. Vnde vbicũq; terra infoditur, aqua reperitur.

*Venæ aquarum & fontium.*

## DE QVINQVE ZONIS. Cap. VI.

QVinq; autem Zonis, id eſt, circulis terra diſtinguitur. Quorum duo extremi ſunt inhabitabiles algore. Medius inhabitabilis calore, à quo ſol nunquam recedit: ad illos nũquam accedit. Medij duo habitabiles. Hinc ardore, inde rigore tẽperati. Verbi gratia. Si ignis in hyeme ſub dio accenditur, quinque lineas efficit. vnam in medio feruidam, duas circum gelidas, duas inter has temperatas. Qui ſi vt Sol circumiret, nimirum quinque circulos redderet. Ex his circulis. Primus Septentrionalis, Secundus ſolſtitialis, Tertius æquinoctialis, Quartus Brumalis, Quintus Auſtralis nominatur. Sed ſolus Solſtitialis à nobis inhabitari dinoſcitur.

*Circuli ſiue Zonæ. Inhabitabiles. Zonæ tres. Habitabiles duæ. Oſtẽditur. exemplo quomodo mediæ duæ Zonæ tãtũ ſunt habitabiles. Quinq; circuli.*

## DE TRIBVS PARTIBVS. Cap. VII.

HAbitabilis Zona, quæ à nobis incolitur in tres partes mediteraneo mari dirimitur.

*Partes terræ habitabiles tres*

*Quarum vna Aſia, altera Europa, tertia Africa dicitur. Aſia, à Septentrione per Orientem, vſq; ad meridiem. Europa ab occidente, vſque ad ſeptentrionem. Africa à meridie vſq; ad occidentem, extenditur.*

## *DE ASIA.*
### *Cap. VIII.*

*Paradiſus.* *ASia, à regina eiuſdem nominis appellata. Huius prima regio in oriente è paradyſo, locus videlicet omni amænitate conſpicuus, inadibilis hominibus, qui igneo muro vſq; ad cælum eſt cinctus.*

## *DE PARADISO.*
### *Cap. IX.*

*IN hoc lignum vitæ, videlicet arbor, de cuius fructu qui comederit, ſemper in vno ſtatu immortalis permanebit. In hoc etiam fons oritur, qui in quatuor flumina diuiditur. Quæ qdē flumina infra paradiſum terra condūtur: Sed in alijs lōge regionibus funduntur.* *Fons Paradiſi.*

## *DE QVATVOR FLVMINIBVS.*
### *Cap. X.*

*NAm Phyſon, qui & Granges in India de*

*mō*

*mōte Orcobares naſcitur, & contra orientem fluens Oceano excipitur. Geon, qui & Nilus iuxta montem Athlantem ſurgens, mox à terra abſorbetur, per quam occulto meatu currens, in littore rubri maris denuo funditur, AEthiopiam circumiens per Aegyptū labitur, in Septem oſtia diuiſus, magnum mare iuxta Alixandriam ingreditur. Tigris autem, & Euphrates in Armenia de monte Barchoatro funduntur, & contra meridiem vergentes mediterraneo mari iniunguntur. Poſt Paradiſum ſunt multa loca deſerta & in via, ob diuerſa ſerpentum, & ferarum genera.*

*Phyſon ſiue Ganges*

*Geon ſiue Nylus.*

*Tygris.*

*Euphrates*

## *DE INDIA.*

### *Cap. XI.*

*DEinde eſt India, ab Indo flumine dicta. Qui ad Septentrionem de monte Caucaſo naſcitur, & ad meridiem curſum ſuum dirigens, à rubro mari excipitur. Hoc India ab occidente clauditur, & ab hoc Indicus Oceanus dicitur. In quo etiam eſt ſita Taprobanes Inſula, decem ciuitatibus inclyta. Hæc duas æſtates, & duas hyemes vno anno habet, &*

*India vnde dicta.*

*Mons Caucaſus.*

*India termini.*

*Indicus Oceanus,*

*Inſula duæ æſtates.*

*& duas hyemes & uno anno habens, omniq; tẽpere virens.* omni tempore viret. In hoc etiam Chriſa, & Argare inſulæ, auro, & argento fœcundæ, & ſemper floridæ. Ibi ſunt & montes aurei, qui propter dracones, & gryphes non poßunt adiri. In India eſt mons Caſpius, à quo Caſpium mare vocatur. *Mons Caſpius. Mare Caſpium.* Inter quem & mare Gog, & Magog ferocißimæ gentes, à magno Alexandro incluſæ feruntur. *Gog. Magog.* Quæ humanis carnibus, vel crudis beſtijs veſcuntur. India habet quadraginta quatuor regiones, populosq; multos, Garmanos, Oreſtas, Coatras, quorum ſylvæ tangunt æthera. *Garmani Oreſta. Coatra Pygmei* In montanis. Pygmæos duorum cubitorum homines, quibus bellum eſt contra grues, qui tertio anno pariũt, octauo ſeneſcunt. *Piper albũ* Apud hos creſcit piper colore quidem albo: ſed cùm ipſi Serpentes, qui ibi abundant, flamma fugantur: nigrum colorem trahit de incendio. *Macrobij* Item Macrobios duodecim cubitorum longos, qui bellãt contra Gryphes, qui corpora Leonum, alas, & vngulas præferunt aquilarũ. *Agrocta. Bragmani* Item Agroctas & Bragmanos, qui ſe vltrò in ignem mittunt amore alterius vitæ. *Qui parẽtes mactãt* Sunt alij, qui parẽtes iam ſenio confectos mactant, & eorum carnes ad epulandum parant, iſq; impius iudicatur, qui hoc facere abnegat. *Qui Piſces crudos cõmedunt.* Sunt alij qui piſces ita

crudos

crudos edunt, & ſalſum mare bibunt.

## DE MONSTRIS.
### Cap. XII.

SVnt ibi quædam mõſtra, quorum quædam hominibus, quædam beſtijs aſcribuntur: vt ſunt ij, qui auerſas habent plantas, & octonos ſimul ſedecim in pedibus digitos, & alij, qui habent canina capita, & vngues aduncos, quibus eſt veſtis pellis pecudum, & vox latratus canum. Ibi etiam quædam matres ſemel pariunt, canosq; partus edunt, qui in ſenectute nigreſcunt, & longa noſtræ ætatis tempora excedunt. Sunt aliæ quæ quinquennes pariunt: ſed partus octauum annum non excedunt. Ibi ſunt & monoculi & Arimaſpi, & Cyclopes. Sunt & Scænopodæ, qui vno tãtum fulti pede auram curſu vincunt, & in terram poſiti vmbram ſibi planta pedis erecta faciunt. Sunt alij abſq; capite, quibus ſunt oculi in humeris pro naſo & ore duo foramina in pectore, ſetas habent vt beſtiæ. Sunt alij iuxta fontem Gangis fluuij, qui ſolo odore cuiuſdam pomi viuunt, qui ſi longius eunt, pomum ſecum ferunt: moriuntur enim ſi prauum odorem trahunt.

Semel tãtummodo parientes.

Arimaſpi. Cyclopes. Scænopodæ

Acephali.

Solo odore pomi viuentes.

## DE BESTIIS.

### Cap. XIII.

Ceucocroca. SVnt ibi Serpentes tam vaſti, vt Ceruos deuorent, & ipſum etiam Oceanum tranſnatent. Ibi eſt beſtia Ceucocroca, cuius corpus aſini clunes, Cerui pectus, & crura Leonis, pedes Equi, ingens cornu biſulcum, vaſtus oris hiatus, vſq; ad aures. In loco dentium os ſolidum, vox penè hominis. Ibi eſt alia beſtia Eale, cuius corpus Equi, maxilla Apri, cauda Elephantis, cubitalia cornua habens, quorum vnum poſt tergum reflectit, cum alio pugnat. Illo obtuſo, aliud ad certamen vibrat. Nigro colore horret. In aqua, & in terra æqualiter valet. Ibi ſunt fului tauri, verſis ſetis horridi, grãde caput, oris rictus ab aure, ad aurem patet. Hi etiam cornua viciſſim ad pugnam producunt, vel deponunt. Omne miſſile duro tergo reſpuũt. Qui ſi fuerint capti nulla poſſũt arte domari. Ibi quoq; Mantichora beſtia, facie homo, triplex in dentibus ordo, corpore Leo, cauda Scorpio, oculis glauca, colore ſanguinea, vox ſibilus Serpentum, fugiens diſcrimina volat, velocior curſu, quàm auis volatu, humanas carnes habens in vſu. Ibi ſunt etiam Boues tricornes, pedes equinos haben

Eale.

Tauri indomici.

Mãticora.

Boues tricornes.

habentes. Ibi quoq; Monoceros, cuius corpus equi, caput Cerui pedes Elephãtis, cauda Suis: Vno corũ, in medio fronte armatum quatuor pedum longum, ſplendens, & mirè acutum. Hæc beſtia nimis ferox, diros habet mugitus. Omne quod obſtat, cornu tranſuerberat. Captum poteſt perimi, non poteſt domari. Monoceros

In Gange quoq; ſunt anguillæ trecentorum pedum longæ. Ibi etiam quidam vermes, qui inſtar Cancri bina habẽt brachia, ſex cubitorum longa, quibus Elephantes corripiunt, & vndis immergunt.

Indicum quoq; mare gignit teſtudines, de quarum teſtis capacia hoſpicia ſibi faciunt homines. Teſtudines grandes.

India quoq; Magnetem lapidem gignit, qui ferrum rapit. Adamantem etiam, qui non niſi hircino ſanguine frangi poteſt. Magnes. Adamas.

## DE PARTHIA
### Cap. XIIII.

AB Indo flumine vſq; ad Tygrim, eſt Parthia triginta tribus regionibus diſtincta. Dicitur autẽ Parthia à Parthis veniẽtibus è Schytia. Eſt in ea regio Aracuſia, ab oppido Aracuſa dict. Eſt etiã in ea Aſsiria ab Aſsur filio Parthia vnde dicta. Aracuſia. Aſsiria.

Sem, qui eam primus incoluit nominata. Eſt in ea quoq; Media, à Medo rege dicta, qui ciuitatem conſtruens Mediam nominauit, de qua & regio nomen mutuauit. In ea etiam Perſida à Perſeo rege dicta, qui ciuitatē Perſepolim ædificauit, de qua & regio nomen accepit. In hac primum orta eſt ars Magica. Perſida lapidem Pyrrhitē mittit, qui manum prementis vrit. Et Synelitem, cuius candor cum Luna creſcit, & deficit.

*Media.* *Perſida.* *Perſepolis.* *Magicæ artis origo.* *Pyrrhites.* *Synelites.*

## DE MESOPOTAMIA.
### Cap. XV.

A Tygri flumine vſq; ad Euphratem eſt Meſopotamia, ac duobus fluuiis Græcè ita dicta, quod in medio duorum fluminum ſit conſtituta. In hac eſt Ciuitas Niniue, itinere triū dierum, à Nino rege conſtructa, & nominata. In hac etiā regio Babylonia, à ciuitate Babylone nominata. Hāc Nemroth Gygas fundauit. Sed Semiramis regina reparauit. Cuius muri latitudo eſt quinquaginta cubitorum, altitudo ducentorum cubitorum, ambitus ciuitatis quadringentorum octoginta ſtadiorum. Centum portis æreis firmata. Fluuio Euphrate per medium eius currente irrigua.

*Niniue.* *Babylonia* *Babylon.*

Huius arx Babel quatuor milia paſſuum alta ſcribitur.

In ea quoq; eſt Chaldæa, in qua primum inuẽta eſt Aſtronomia. In ea & Arabia, quæ etiam Saba dicitur à Saba filio Chus. In hac thus colligitur. In hac eſt mons Sina, qui & Oreb, in quo Lex à Moyſe ſcribitur accepta, iuxta quẽ vrbs Madiã fuit, in qua Iethro Sacerdos præfuit. In ea ſunt gẽtes multæ, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Sarraceni, Madianitæ, & aliæ multæ.

Chaldæa. Aſtronomia vbi primũ inuẽta. Arabia. Saba. Mõs Syna. Madian.

## DE SYRIA
### Cap. XVI.

AB Euphrate vſq; ad mare mediterraneum eſt Syria, à quodã Syro rege dicta, in qua eſt Damaſcus, à Damaſco Abraæ liberto conſtructa & dicta, olim Reblata vocata, Eſt in ea Comagena prouincia. Eſt & Phœnicia, à Phœnice aue, quæ ſola in hac terra inuenitur, ſiue à Phœnice rege, filio Agenoris dicta. In hac ſunt Tyrus quæ & Sortyx, & Sidon ciuitates ſitæ. In hac etiam mons eſt Lybanus, ad cuius radicẽ oritur Iordanis fluuius. Eſt in ea quoq; Palæſtina, à ciuitate Palæſtin, quæ nunc Aſcalon vocatur, dicta. Eſt in ea Iudæa, à

Damaſcus Reblata. Comagena prouincia. Phœnicia. Tyrus. Sortyx. Sidon Lybanus mons. Fõs Iordanis. Palæſtina. Aſcalon.

*Iuda filio Iacob, de cuius tribu reges erant, nuncupata. In hac etiam Chananæa à Chanaan filio Cham dicta. In hac eſt Ieruſalem, quã Sem filius Nohæ cõſtruens Salem nominauit. Sed Iebus, & filius Chanaan, inhabitauit, vnde Iebus, & Salem dedit ei nomen rex Dauid Ieruſalem, quaſi Iebuſalem Quam Salomon filius eius auro, & gemmis decorauit Ieroſelymiã quaſi Ieruſalemoniã appellauit. Quã à Babylonijs ſubuerſam, Zorobabel reædificauit, Sed Romanus exercitus poſtea funditus deleuit. Hanc poſtmodum AElius Adrianus Imperator reparauit, AEliamq; nominauit.*

*Ieruſalem. Chananæa*

## *DE PALAESTINA.*
### *Cap. XVII.*

*Samaria. Sebaſtia. Sichima. Galilæa. Nazareth Pentapolis Sodoma. Gomorra. Mare mortuũ. Saraceni. Agareni. Iſmaelitæ.*

*EST & in Palæſtina regio Samaria, à ciuitate Samaria dicta, quæ nunc Sebaſtia eſt nuncupata, olim Sichima, à Sichem vocata. In hac eſt quoq; Galilæa, in qua eſt Nazareth ciuitas, iuxta montem Thabor ſita. In hac eſt & Pentapolis regio, à quinq; ciuitatibus dicta. In qua olim fuit Sodoma, & Gomorrha. In hac eſt mare mortuum, à quo fluenta Iordanis abſorbentur. In hac etiam Sarraceni, à Sara dicti, qui & Agareni, ab Agar, Item Iſmaëlitæ*

ab Iſmael nuncupati. In hac & Nabathæi à Nabaioth filio Hiſmaël dicti. Quorum gentes ſunt duodecim. *Nabathai.*

## DE AEGYPTO.
### Cap. XVIII.

Hæ ſuperius dictæ regiones, ab oriente incipientes, recta linea ad mediterraneum mare extēduntur. Quibus vſque ad Auſtrum AEgyptus connectitur, in qua viginti quatuor gentes eſſe feruntur. Hæc in oriente à rubro mari ſurgit, terminum ſuum verſus occidentem in Lybia figit. Hæc prius & Bona copia: Euxia dicta, Poſtea ab AEgypto rege fratre Danai AEgyptus eſt vocata, Hæc fluuio Nilo vndiq; cincta, in modū Deltæ literæ eſt formata, centum milibus villarum inclita Hanc nubes non obſcurant, pluuiæ non irrigant, ſed Nilus inundans eam fœcūdat. In hac eſt prouincia Thebaida, à ciuitate Thebe cognominata, quam Cadmus Agenoris filius in AEgyptum veniens ædificauit, Thebas ſecundum illam quam in Bœotia cōſtruxit, nominans. In hac Mauritius principabatur, & ab hac Thebæi dicuntur. Huic maxima adiacet ſolitudo, in qua olim conuerſabatur mo-

*Euxia poſtea. AEgyptus dicta.* Δ *Thebaida Thebe.*

Monachi. nachorum multitudo. Cambyſes Rex AEgyptum ſuperans ciuitatem condidit, cui nomē Babylō indidit, quæ nūc caput illius regni exiſtit. In hac & victor Alexander ciuitatem ædificauit, quam ex ſuo nomine Alexādriam nuncupauit.

Babel AEgypt.

Alexādria

## DE CAVCASO ET REGIOnibus Orientis.

### Cap. XIX.

SVpraſcriptis regionibus, vſq; ad Aquilonē annectuntur hæ regiones. Mons Caucaſus à Caſpio mari Orientis attollitur, & per Aquilonem vergēs penè vſq; ad Europam porrigitur. Hunc inhabitant Amazones, fœminæ videlicet, vt viri præliantes. His cohabitant Maſſagetæ, & Colchi, & Sarmatæ. Seres eſt oppidum Orientis, quo Serica regio, & veſtis, & gens eſt dicta. Poſt hanc eſt Bactra à Bactro amne vocata. Huic cōiungitur Hyrcania, ab Hyrcana Sylua nominata, in qua ſunt aues, quarū pennæ ſplendent per noctes. Huic iūgitur Schytia, & Hirnia, quarū gētes ſunt quadraginta quatuor. Ibi ſunt Hyperborei montes. Hanc ſequitur Albania, à candore populi dicta, eò quod albo crine ibi naſcātur.

Amazones. Maſſagetæ. Colchi. Sarmatæ. Seres. Bactra. Hircania. Hirnia. Schytia. Hyperborei mōtes. Albania.

*tur. Cui connectitur Armenia, in qua eſt mõs Arath, ſuper quem archa Noe poſt diluuium requieuit, cuius vſq; hodie ligna ibi uidentur. Huic copulatur Iberia. Illi verò Cappadocia à ciuitate eiuſdem nominis dicta. In hac equæ à vento concipiũt, ſed fœtus nõ amplius triennio viuunt.* Armenia. Arath mõs Iberia. Cappadocia.

## *DE ASIA MINORE.* *Cap. XX.*

*ASia minor poſt hanc conſtituitur, quæ penè vndiq; mari cingitur. In hac eſt Epheſus ciuitas ab Amazonibus cõſtructa, in qua requieſcit corpus Ioannis Euangeliſtæ in hac etiam ciuitas Nicea, in qua magna Synodus eſt facta. Prima prouincia Aſiæ minoris eſt Bythinia, prius Berica poſt Migdonia, mox à Bythino rege Bythinia appellata. In qua eſt ciuitas eiuſdem nominis. In hac eſt etiam ciuitas Nicomedia à Nicomede rege conſtructa, & dicta.* Epheſus. Corpus Iõ. Euã. Epheſi quieſcit. Nicæa ciuitas. Bythinia. Nicomedia

## *DE REGIONIBVS ASIAE* *Cap. XXI.*

*BYthinia quoq; dicitur Maior Phrygia, in qua eſt ciuitas Smirna, à Theſeo rege con-* Smirna

Galatia. ſtructa. Huic iungitur Galatia, à Gallis dicta, quos Bythinus rex in auxiliũ euocauit & poſt victoriam eis terram diuiſit. Hanc ſequitur Phrygia. Phrygia, à filia Europæ Phrygia ſic nominata. Hæc & Dardania, à Dardano Iouis filio dicta. Et in ea ciuitas eiuſdem nominis, ab eodẽ conſtructa. Troia. In hac eſt etiam ciuitas Troia, à Troo rege conſtructa & nominata. Hæc quoque Ilium ab Ilo rege eſt dicta. Huius mœnia dicuntur Pergama. Lycaonia. Caria. Huic adiacẽt Lycaonia, & Caria, vbi fluit Hirnus fluuius aureis arenis famoſus. Hernus fl. Lydia. Thiatira. Inde eſt Lydia à Lydo rege, fratre Tyrreni appellata. In hac etiam Thiatira. Deinde Iſauria. Cilicia. eſt Iſauria, ab aura, qua vndiq; perflatur, dicta. Poſt hanc eſt Cilicia, à ciuitate eiuſdem nominis nuncupata, q̃ Cilix filius Agenoris conſtruxit, & ab illa regio nomen accepit. In Amana. mons, qui et Taurus. hac eſt mons Amana, qui & Thaurus. Tharſus. In hac & Tharſus ciuitas, à Perſeo conſtructa, Pauli Apoſtoli inhabitatione glorioſa. Lycia. Piſidia. Deinde eſt Lycia & Piſidia & Pamphylia. Paphylia. Euxinus pontus. Euxinus Pontus regio multarum gentium, à qua & Ponticum mare appelatur. In quo Ouidius, & poſtea Clemens exilio relegantur.

Poſt decurſam Aſiam, tranſeamus ad Europam.

DE

## DE EVROPA.

### Cap. XXII.

EVropa ab Europe rege, & ab Europa filia Agenoris eſt nominata. In qua imprimis verſus Septentrionem ſunt Ryphæi montes, & Tanais fluuius, à Tanao rege dictus, & Mæotides paludes, magno mari iuxta Theodoſam urbem, ſe iungentes.

Ryphæi montes. Tanais fl. Mæotides paludes. Theodoſa.

## DE SCHYTHIA

### Cap. XXIII.

A Thanai fluuio eſt Schythia inferior, quæ verſus meridiem, vſque ad Danubium porrigitur. In hac ſunt iſtæ prouinciæ, Alania. Dacia. Gothia.

## DE GERMANIA SVPERIORE.

### Cap. XXIIII.

A Danubio vſq; ad Alpes eſt Germania ſuperior, quæ à germinãdo populos, dicitur. Verſus occaſum Rheno: verſus Aquilonem Albia fluuio terminatur In hac eſt regio Sueuia, à monte Sueuo dicta. Hæc & Alemania à Lemano lacu appellata. Hæc & Retia dicta. In hac Danubius naſcitur, & ſexaginta præci-

Germania Vnde dicta. Limites & fines Germaniæ Superioris. Sueuia. Retia.

Bauaria. Ratiſpona. Frācia Orientalis. Turingia.

puis fluuiis augetur, & in ſeptem oſtia vt Nilus diuiſus Ponticum mare ingreditur. Eſt in ea Noricus, quæ & Bauaria, in qua eſt ciuitas Ratiſpona. Tum & Orientalis Frācia, cui cōiungitur Turingia quam Sequitur Saxonia.

## DE GERMANIA INFERIORE.

### Cap. XXV.

Dania. Noruuegia. Meſsias. Pannonia inferior. Bulgaria.

AB Albia eſt Germania inferior, quæ verſus Aquilonem Ocœano excipitur. In hac eſt Dania, & Noruuegia. A Danubio, imò circa Danubiū verſus orietem, vſq; ad mare mediterraneum mare eſt Meſsias, à Meſsium prouentu dicta, deinde Pannonia inferior, & Bulgaria.

## DE THRACIA.

### Cap. XXVI.

Heber fl.

INdè Thracia, à Tras filio Iapheth dicta. Hæc habet Hebrum fluuium, & ciuitatem Hebron ibi conſtructam & dictam.

## DE GRAECIA.

### Cap. XXVII.

A Mediterraneo mari eſt Græcia, à Græ-

co

co rege dicta, terra Cethim olim vocata, & verſus Auſtrum magno mari terminatur. Quæ etiam Illyricus nominata, & in ea prouincia Dalmatia à Dalmi ciuitate vocata. Est & Epirus à filio Achillis Pirrho ſic dicta. In Epiro eſt fons in quo faces accenſæ, extinguntur, & iterum extinctæ, accenduntur. Eſt & Chaonia, à ciuitate eiuſdē nominis appellata quam Helenus frater Hectoris ædificauit, & ob amorem fratris ſui Chaonis Chaoniam appellauit. Hæc & Moloſia, à ciuitate Moloſia dicta, quam Moloßus filius Pyrrhi conſtruxit, & à nomine ſuo Moloſiā vocauit. Eſt ibi & Elladia, ab Ellade rege, filio Deucalionis & Pyrrhæ dicta. Ipſa eſt & Attica, ab Atti rege. Ipſa eſt vera Græcia. In hac eſt ciuitas Athenæ à Cecrope Rege conſtructa. Ibi eſt & Beotia à Boue dicta, quia Cadmus filius Agenoris illo veniens, bouem reperit, quem Dijs immolans Thebas conſtruxit, Prouinciā Boëtiam nuncupauit, de hac dicuntur Thebani, de alia Thebæi, Eadem prouincia dicitur Aonia à fonte Aon Muſis conſecrato. Ibi eſt & Peloponeßus, à Pelope rege, & ciuitate eiuſdem nominis dicta. Ibi & Theßalia, à rege Theſſalo dicta. Ibi & Macedonia, à Mace-

Cethim. Illyricus. Dalmatia. Epirus. Fons in Epiro. Chaonia. Moloſia. Elladia. Attica. Athenæ. Beotia. Thebani & Thebæi differunt. Aonia. Peloponeſſus. Theßalia. Macedonia

*Aemathia* *done rege appellata. Hæc & AEmathia, ab*
*Olympus mons.* *AEmatho rege vocata: in hac eſt mons Olym-*
*Theſſalonica.* *pus, qui excedit nubes. In hac eſt & Theſſalo-*
*Achaia* *nica, à Theſſalo rege filio Græci cõſtructa. Ibi*
*Arcadia.* *eſt & Achaia ab Achæo rege & ciuitate*
*eiuſdem nominis, dicta. Ibi & Arcadia,*
*Arbaſtus lapis.* *quæ & Sycionia à Sycione rege nuncupata.*
*Arcadia, Arbaſton lapidem mittit, qui ſe-*
*Pannonia ſuperior.* *mel accenſus extingui non poteſt. Deinde eſt*
*Mõs Peninus.* *Pannonia ſuperior vſque ad Peninum mon-*
*Hiſtria.* *tem. Ad Aquilonem eius Hiſtria, ab Hiſtro*
*amne, qui & Danubius, nominata.*

## *DE ITALIA.*

### *Cap: XXVIII*

*Variæ Italiæ appellationes.* *ITalia olim magna Græcia eſt dicta, poſtea à*
*Saturno, eſt Saturnia appellata, Mox Lati-*
*um, eò quod Saturnus pulſus à Ioue ibi latuit,*
*dicta. Deinde Auſonia ab Auſone rege. Tandẽ*
*ab Italo rege Siculorum Italia vocata. Hæc ab*
*Roma.* *Alpibus ſurgit, & in magno mari terminum*
*Ciuitatum forma ſecũdum feras.* *figit. In hac eſt vrbs Roma, à Romulo conſtru-*
*cta & ſic dicta. Antiqui ciuitates ſecundum*
*præcipuas feras, ob ſignificationẽ formabant.*
*Roma formã Leonis habet.* *Vnde Roma formam leonis habet, qui cæteris*
*beſtijs quaſi rex præeſt. Huius caput eſt Vrbs à*

*Romulo*

Romulo conſtructa: latera verò ædificia vtrobiq; diſpoſita: vnde & Lateranis dicitur. Brunduſium autem formam cerui, Carthago bouis, Troia equi figuram habuit. Eſt in Italia Thuſcia prouincia, à Thure, & ſacrificijs dicta. Eſt & Campania, à Capua ciuitate dicta, à Capi rege conſtructa. Ibi eſt & Apulia. Eſt & Imbria, inde dicta, quod imbribus tempore diluuij ſuperfuit. Eſt & Hetruria ab Hetruſco rege dicta. Eſt & Longobardia à longis barbis vocata. Padus, qui & Eridanus Italiæ fluuius ab Appeninis montibus oritur, ac mari immergitur. Venetia ab Eneco rege, prius Benetia dicta, deinde Venetia. Gallia à candore populi dicitur. Gala enim Græcè lac dicitur, Rhenus ab alpibus naſcitur, & contra Aquilonem vergens, ſinu Oceani excipitur.

*Brunduſiū formā cerui habet.* *Cartago bouis.* *Troia equi* *Thuſcia.* *Campania* *Apulia.* *Imbria.* *Hetruria.* *Longobardia.* *Padus & Eridanus.* *Venetia.* *Gallia vnde ſic dicta* *Rheni fons*

## DE GALLIA.

### Cap. XXIX.

A flumine Rheno eſt Gallia Belgica, à ciuitate Belgis dicta. Hæc à monte Iouis ſurgit, & verſus Aquilonem Britānicum Oceanum incidit. Hæc & Francia à Franco rege eſt dicta, qui de Troia cum AEnea veniens,

*Gallia Belgica.* *Francia.* *Francus Rex.*

*Troiam iuxta Rhenum condidit terram Frãciam cognominauit. Hanc verſus occidentem* Gallia Lugdunenſis. *excipit Lugdunẽſis Gallia, quæ & Comaga, ab* Comaga. *longas comas eſt dicta, & Togata à longis ve-* Togata. *ſtib. quæ verſus Auſtrum habet Narbonen-* Gallia Narbonenſis. *ſem Galliam à ciuitate Narbona dicta, verſus* Aquitania. *Occidentem Aquitaniam ab aquis dictam Rodano, & Ligere.*

## DE HISPANIA.

### Cap. XXX.

Hiberus fl. *INde eſt Hiſpania ab Hiſpano rege dicta prius Hiberia, à Hibero flumine, & Heſperia, ab* Sex Hiſpania prouinciæ. *Heſpero rege nominata. Hæc verſus occaſum Oceano terminatur. Sunt in ea ſex prouinciæ. Tarracona, Carthago, Luſitania, Galatia, Betica, Tinguitania à præcipuis ciuitatibus dictæ.*

Britannia Anglia. Hibernia. Tanatos Terra ſerpẽtes perimens. Iſole. Orcades. Scothia. Chile.

## DE BRITANIA

### Cap. XXXI.

*COntra Hiſpaniam verſus occaſum ſunt in Oceano hæ inſulæ. Britania, Anglia, Hibernia, Tanatos, cuius terra quouis gentium portata ſerpentes perimit. Iſole in qua fit ſolſtitium. Orcades triginta tres. Schotia, Chile*

cuius

cuius arbores nunꝗ folia deponunt, & in qua ſex menſibus, videlicet æſtiuis, eſt continuus dies: Sex hybernis continua nox. Vltra hanc verſus Aquilonem, eſt mare congelatum, & frigus perpetuum. Europam perambulauimus. Ad Affricam tranſmigremus. Mare congelatum.

## DE AFFRICA.
### Cap. XXXII.

AFfrica ab Apher vno ex poſteris Abraæ eſt dicta. Hæc in oriente Indi fluminis ſurgit, & per meridiem vergens, in occidentem tendit. Huius prima prouincia eſt Lybia, à regina Lybia. eiuſdem nominis dicta. Hæc à Paratonio ciuitate Paratoniũ & montibus Catabachmonijs initium Montes Catabachmonij. ſumit, & in aris Philenorum finitur. De hac Lybiæũ mare dicitur. Inde eſt Cyrenaica à ciui Are Philenorum. tate Cyrene nominata. Sed à regina eiuſdẽ nominis cõſtructa, & dicta. Hæc & Pentapolis à Cyrenaica Cyrene. qnq; ciuitatibus eſt dicta. Scilicet Berenice. Ar Pentapolis ſinoe. Ptolemaide Apollinea. Cirene, à pprijs cõditoribus ita dictæ. Inde Tripolis à tribus ci- Tripolis. uitatibus dicta, quæ ſunt Occaſa, Berete, & Leptis magna. Poſt hanc Biſace, à duabus vrbi- Biſace. bus dicta, id eſt, Adromeus, & Bizantium. Heuſis. Deinde eſt Heuſis, in qua eſt magna Carthago Carthago.

*à Didone, quæ & Eliſa conſtructa, & Carthada, à Cartha oppido nominata. Sed à Romanis deleta & denuò reædificata Carthago eſt appellata. Huius muri latitudo fuit, ſeptem & decem cubitorum: Poſt hanc eſt Getulia. Inde Numidia, in qua regnauit Iugurta. In hac eſt ciuitas Hypone, in qua fuit Auguſtinus Epiſcopus. Inde eſt Mauritania, à nigredine dicta. In hac eſt prouincia Stiffenſis, à Stiffi opido. Alia Cæſarienſis, à ciuitate Cæſaria dicta. Tertia Tinguitania à ciuitate Tingui nuncupata.*

*Carthaginis deſcripiot. Getulia. Numidia. Hypone. Mauritania. Stiffia. Cæſariæ Tinguitania.*

## *DE AETHIOPIA Cap. XXXIII.*

*VErſus Meridiem verò eſt Aethiopia, ab Ethan dicta, vna in Oriente, in qua eſt Saba vrbs, de qua fuit illa regina, quæ ad Solomonem venit: Altera in occidente. Inter quas ſunt Garamantes, à Garama ciuitate dicti. Apud quos eſt fons tam frigidus diebus, vt non bibatur: tam feruidus noctibus, vt non tangatur. Quibus verſus Orientem cohabitāt Troglodità, qui celeri curſu feras capiunt. Intra AEthiopiam ſunt maxima loca deſerta, ob ſolis ardorem, & diuerſi generis ſerpen-*

*Saba. Garamātes. Fons apud Garamātes. Troglodità*

tia

tia hominibus incognita. Deinde eſt maximus Ocœanus, qui ſolis calore dicitur feruere, vt cacabus. In extremis finibus Affricæ verſus Occidentem eſt vrbs Gades, à Phœnicibus conſtructa, de qua Gaditanum mare dicitur. In ipſo verò Ocœano eſt mons Atlas altiſſimus, vnde Athlanticũ mare appellatur. Athlas autem erat rex Africæ, frater Promethei, à quo mons nomẽ accepit, quia in eo reſidens, Aſtrologiã deſcripſit, vnde & cœlum ſuſtinere dicitur. Peragratis Africæ finibus, ad inſulas maris accedamus.

Gades. Gaditanũ mare. Athlanticum mare. Aſtrologia vbi deſcripta.

## DE INSVLIS, ET NOVO VT dicunt orbe.

### Cap. XXXIIII.

INſulæ ſunt dictæ, quaſi in ſalo ſitæ. In mediterraneo mari eſt Cyprus inſula contra Syriam, à Cypro ciuitate dicta. Hæc & Paphus, à ciuitate eiuſdem nominis. Creta à Creto rege dicitur. Hæc & Centapolis, à Centum vrbibus nuncupata. Hæc ſita eſt cõtra Lybicum mare, quod & Adriaticum, ab Adria ciuitate dicitur. Abydos eſt inſula in Helleſponto, in Europa. Helleſpontus ab Helle ciuitate dicitur. Coos Inſula Atticæ. Cyclades dicuntur,

Cyprus. Paphus. Creta. Mare adriaticum. Abydos. Helleſpontus. Coos. Cyclades.

quod in rotundo ſint poſitæ. Cyclus enim dicitur orbis. Sunt autem quinquaginta quatuor contra Aſiam poſitæ. Harum prima Rodus à ciuitate eiuſdem nominis dicta ad orientem eſt poſita. In hac fuit olim Aereus Coloſſus ſeptuaginta cubitorum altus. Tenedus ad Septentrionem eius poſita, à ciuitate Tene, & eius conſtructore eiuſdem nominis dicta. Carpathos ad meridiem ipſius contra AEgyptum poſita. Vnde & Carpatium mare, & Carpatiæ naues. Citheræa ad occaſum eſt ſita, à Cithero monte dicta. Hæc & Porphyris dicitur. Delos in medio Cycladum ſita, à ciuitate eiuſdem nominis dicta. Hæc tempore Diluuij ſub Ogygo facto primum apparuit, vndè & Delos nomen accepit, quia Delos manifeſtum ſonat. Hæc & Ortyga ab Ortigo metis, id eſt, coturnicibus, quæ primum ibi viſæ ſunt. Icaria inſula à Puero Cretenſi naufrago eſt dicta, à qua Icarium mare dicitur. Naxon inſula Dionyſij, qui & Bachus. Melos, quæ & Storia rotunda inſula. Paron à ciuitate eiuſdem nominis dicta, à Paro Iaſonis nepote cōſtructa. Hæc gignit marmor candidiſſimum, quod Parium dicitur, & Sardium lapidem. Cidon eſt inſula: in hac Maſtix naſcitur. Samos inſula à Sa-

Rodus. AEreus Coloſſus ſeptuaginta cubitorum altus. Tenedus. Carpatſos. Carpatiū mare. Citheræa. Delos. Coturnices vbi primū viſæ. Icaria. Naxos. Melos. Paros. Parium marmor. Lapis Sardius. Cidon. Samos.

mon

mo ciuitate dicta. In AEgeo eſt mari ſita. De hac fuit Sybilla, & Pithagoras. In hac fictilia vaſa ſunt reperta. Fictilia vaſa vbi reperta.

## DE SYCILIA.
### Cap. XXXV.

SYcilia à Siclo rege dicitur. Italia dicta. Prius Sycinia, à Sycano rege cognominata, cōtra Italiam ſita. Hæc & Trinacria, à tribus mōtibus dicitur. Trinacria In hac eſt mons AEthna cuius ſulfurea exæſtuāt incēdia. Aethna mons. In huius freto eſt Scylla & Charybdis. Scylla. Charibdis. In hac erāt olim Cyclopes. In hac inuenta eſt Comedia. Comedia vbi inuēta Eoliæ inſulæ ab Eolo rege dictæ iuxta Syciliam poſitæ. Hæ & Vulcaniæ, quia incendio ſunt plenæ. Vulcaniæ. Sunt verò nouem. Stæchades inſulæ contra Maſſiliam ſitæ. Stæchades.

## DE SARDINIA
### Cap. XXXVI.

SArdinia à Sardino rege Herculis filio dicta, contra Numidiam eſt ſita. In hac nec ſerpentes, nec lupi gignuntur. In ea eſt Solifuga animal vt aranea Morſu homines perimens. In ea eſt & herba ſimilis apiaſtro, quæ commedentibus rictus contrahit, & quaſi

*Fontes calidi cæcitatem furibus inferentes.* ridentes interimit. In hac ſunt fontes calidi, infirmis medela, furibus inferētes cæcitatem. *Corſica.* Corſica, à Corſa muliere dicta, contra Lyguriam ſita: quæ primitus taurum ſuum quæſitura illuc venit, & referens loci fertilitatem, à Lyguribus inhabitari cepit. Hæc & *Cyreno.* Cyrene à Cyrino Herculis filio eſt dicta, quia ab eo eſt inhabitata. *Eboſus.* Eboſus inſula contra Hiſpaniam. Hanc fugiunt ſerpentes. Ibi eſt & *Colubria.* Colubria plena ſerpentibus. Ibi & *Inſulæ Baleares.* Baleares Inſulæ. In his *Fundæ vbi inuentæ.* inuentæ ſunt fundæ. *Gorgodes. inſulæ.* Gorgodes inſulæ in Ocæano iuxta Atlantem. In his olim habitauerunt Gorgones. Iuxta has *Heſperide.* Heſperides, ab Heſperia ciuitate dictæ. In his oues albis velleribus abundabant, quæ ad purpuram optimè valebant. Vnde dicitur fabuloſè *Aurea poma.* Aurea mala habuiſſe. Milon enim dicitur ouis Græcè. Inter has fuit illa magna, quæ Platone ſcribente cum populo eſt ſubmerſa, quæ Affricam & Europam ſua magnitudine vicit, vbi nūc eſt *Mare concretum.* Concretum mare. *Meroe.* Meroe inſula eſt in Nilo flumine, in capite AEthiopiæ, in qua abſumitur vmbra in æſtate. In hac eſt lignū Hebenū. iuxta q̄ eſt ciuitas *Syene.* Syene, in qua eſt puteus à Philoſophis factus, ſexaginta cubitorum altus: *Perdita inſul.* In cuius fundum ſplendet Sol recto radio

dio in menſe Iunio. Eſt quædam Ocæani inſula dicta, Perdita amænitate & fertilitate omnium rerũ præ cunctis terris longe præſtãtiſſima, hominibus ignota. Quæ aliquando caſu inuenta, poſtea quæſita non eſt inuenta, & ideò dicitur Perdita. Ad hãc fertur Brandanus veniſſe.

## DE INFERNO.
### Cap. XXXVII.

Inſulas circumiuimus, nunc inferna etiam petamus.

### De nominibus inferni.

INfernus ideo dicitur infernus, quia inferius eſt poſitus. Sicut enim terra eſt in medio aëre: Ita eſt infernus in medio terræ. Vndè & nouiſsima terra dicitur. Eſt autem locus, igne & ſulphure horridus, inferius dilatatus, ſuperius coanguſtatus. Hic lacus, vel terra mortis dicitur, quia animæ illuc deſcendentes veraciter moriuntur. Hic & ſtagnum ignis dicitur: quia vt lapis mari: ita animæ illi immerguntur. Hic terra tenebroſa vocatur: Quia fumo & fœtoris nebula obſcuratur. Hic terra obliuionis nuncupatur, quia ſicut ipſi obliti ſunt Dei: Ita eorũ obliuiſcitur Deus miſereri. Infernus quid.

ſereri. Hic dicitur Tartarus ab horrore, & tremore, quia ibi eſt fletus, & ſtridor dentium. Hic & Gehenna, id eſt, terra ignis nominatur Gæ enim terra dicitur, cuius ignis noſter ignis vmbra eſſe dicitur. Huius profunditas & receſſus dicitur Erebus, draconibus & igneis vermibus plenus. Hic patens os dicitur, & Baratrum, quaſi ater vorago. Huius loca fœtorem exhalãtia dicuntur Acheronta, id eſt, ſpiracula immundos ſpiritus emittentia. Hic eſt Styx quod Græcè ſonat, triſtitia. Dicitur & Phlegeton, qui eſt fluuius infernalis, ob vicinitatem ignis, & ſulphuris fetore, & ardore horribilis. Sunt & alia multa loca, ſiue in terris ſiue in inſulis pœnalia, aut frigore, & vento ſæue horrẽtia, aut igne, & ſulphure iugiter feruentia. Ignea inferni loca inſpeximus ad refrigerium aquarum confugiamus.

Acharon. Styx. Phlegeton.

## DE AQVA.
### Cap. XXXVIII.

AQua, quæ ſecũdum Elementum ponitur, ab æqualitate dicitur, vndè & AEquor, quod ſit plana. Hæc in mari colligitur: In flumina diffunditur. In fontes diuiditur. Per

amnes

amnes cōnectitur. Per terras diſsipatur. Per aëra attenuatur. Totam terram cingit. Omnes regiones, & prouincias diuidit. Huius immenſa profunditas dicitur Abyſſus, quaſi abeſt fundus, habet tamē fundum, quamuis nimis profundum. Abyſſus.

## DE OCOEANO.
### Cap. XXXIX.

OCeanus dicitur, quaſi ocior annis, vel quaſi zonarū limbus. Quinq; enim zonas mundi in modum Limbi ambit.

## DE OESTV.
### Cap. XL.

OEſtus Oceani, id eſt, acceſſus, & receſſus Lunam ſequitur, cuius aſpiratione retro trahitur, eius impulſu refunditur. Quottidie autem bis effluere, & remeare videtur. Cum Luna creſcente, creſcit. Cum decreſcente decreſcit. Cum Luna eſt in equinoctio maiores Oceani fluctus ſurgunt, ob vicinitatem Lunæ. Cū in Solſtitio, minores ob longinquitatem eius. Per decem & nouem annos ad principia motus, & paria incremēta, vt Luna reuertitur.

## *DE VORAGINE.*

### *Cap. XLI.*

*Quomodo fiat vorago*

*AMpotis quoq́; id eſt, vorago in Oceano in exortu lunæ maiori æſtu fluctus inualuit & reuomit. Hæc autem vorago, quæ totas aquas, & naues abſorbet, & reuomit, hinc fit. Eſt in terra abyſſus profundiſsima, de qua ſcribitur. Rupti ſunt omnes fontes abyſſus magnæ. Et iuxta hanc ſunt cauernoſa loca, & ſpeluncæ late patentes. In his venti de ſpiramine aquarũ concipiuntur, qui & ſpiritus procellarum dicuntur. Et hi ſuo ſpiramine aquas maris, per patentes terrarum cauernas, in Abyſſos abſtrahunt & ea exũdantes, iterum magno impetu repellunt.*

## *DE TERRAE MOTV.*

### *Cap. XLII.*

*Quomodo fiant terræ motus.*

*DE his ventis fit & terræ motus. Nam venti concauis locis incluſi dum erumpere geſtiunt terram horribili fremore concutiunt, eamq́; tremere faciunt.*

## *DE HIATV.*

### *Cap. XLIII.*

*HInc etiam fit terræ hiatus, dum loca caua, &*

ua & continuis aquis frigida, ventis concluſa rumpuntur, & introrſus cadentia in hiatum aperiuntur de quibus & multæ ciuitates deuoratæ leguntur. Hoc eſt autem in terra tremor, quod in nube tonitruum. Hoc hiatus, quod ibi fulmen. Fiunt autem cum terræ motu innundationes maris, eodem ſcilicet ſpiritu infuſi, vel reſidentis ſinu recepti. Inde tellus Syciliæ, quia cauernoſa, & ſulphure & bitumine ſtrata, ventis pene tota, & ignibus patet. Spiritu introſus cum igne concertante, multis ſæpe locis fumum, vel vapores, vel flammas eructat, vel etiam vento acrius incumbente harenarum, lapidumúe moles egerit. Inde montis AEthnæ ad exemplum Gehennæ ignium tam diutinum durat incendium, quod Inſularum AEolidũ dicitur vndis nutriri, dum aquarum concurſus ſpiritum in imum profundum ſecum rapiens, tamdiu ſuffocat, donec venis terræ diffuſus fomenta ignis accendat. Huic Scyllæi canes latrare fingũtur, dum procul nauigantes vndarũ fremore terrentur, quas ſorbẽte voragine collidit æſtus.

Cauſa hiatuum terræ.

Tremor terræ quid. Hiatus. quid.

Cur Sycilia flammas euomat & arenas ac lapides egerat

Scylæorum canum. latratus vnde.

Similì de cauſa in aliјs etiam terris incendium ſurgit, & Gehennam præoſtendit.

## DE FRIGORE.
### Cap. XLIIII.

Cur extreme Oceani partes perpetuo frigore horreant.

SIcut calor de igni: Ita frigus de aqua naſcitur vnde extremæ partes Oceani rigido gelu, & perpetuo frigore horrent, quia calore ſolis carent. Pars autē Oceani, quæ medium orbem diuidit ideo calore iugiter feruet, quia ſolem continuo ſupra ſe habet.

## DE AQVIS DVLCIBVS ET ſalſis. Cap. XLV.

OCeanus fluuiorum occurſu non augetur, quia fluenta dulcia partim ſalſis vadis conſumuntur, vel ventis, vel vapore ſolis abripiuntur: Partim per occultos meatus, in ſuos amnes reuertuntur. Idcirco perdurat ſalſus, tot fluminibus, ac pluuijs irrigatus, quia exhauſto à Sole dulci, tenuiq; liquore, quem facilius ignea vis trahit, omnis aſperior, craſſiorq; linquitur. Ideò ſumma maris vnda eſt dulcior. Profunda amarior. Lunæ verò alimentum eſt in dulcibus aquis. Solis verò in amaris.

## DE MARI RVBRO.
### Cap. XLVI.

MAre rubrum de Oceano exit, ſed roſeum

colorem

colorem de terra trahit. Quæ tota ſanguineo colore rubet, ac vicina litora inficit. Mare dicitur, quod ſit amarum. Hoc per venas terræ occulto meatu diſcurrit, amaridutinē in terra deponit, dulce in fontibus erumpit. In ſeipſum tandem refluit, vt ſcribitur. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant Omnia flumina intrant mare. Mare vnde dictum

## DE GEMMINA AQVAE natura.

### Cap. XLVII.

DIcitur tamen, quod aqua natura ſit duplex, ſcilicet ſalſa, & dulcis. Salſa maris eſt grauior. Dulcis fontium eſt fluminum, & leuior. Et cum legatur quod Dominus fontem in paradiſo produxit, & in quatuor flumina diuidens totā terram in quatuor partibus mundi rigare præcepit. Dicitur quod eruptio fontium omnium, vel fluuiorū dulcis aquæ de illo fonte, vel fluuijs decurrat, & in matricem abiſſum eiuſdem fontis refluat. Quæ licet vniuerſa mare influat amaris tamen aquis non commiſcetur. Sed vtputa leuis ſuper graues aquas labitur, & Cur mare non redundet.

*in occultum ſuum curſum reuertitur. Hinc eſt quod mare nõ redundat, cum omnia flumina in illud intrent. Sic & ſuprema maris vnda non eſt adeo amara, quam ea, quæ in imo eſt poſita.*

*Cur fontes in æſtate frigidi in hyeme vero calidi*

*Quod fontes ſunt in hyeme calidi, in æſtate autem frigidi hæc cauſa eſt: in æſtate calor aëris repellit frigus in terrã, & inde fit aqua frigida. In hyeme verò frigus aëris pellit calorem in terram, & inde fit aqua calida.*

## *DE AQVA CALIDA.*
### *Cap. XLVIII.*

*ET cũ omnis aqua ſit dulcis, aut ſalſa. Videndum vnde quædam erumpat calida, vel putida. Sunt quidam ſpecus ſubterranei naturaliter ſulphure pleni. In his cum ventus concipitur, eius afflatu ſulphur accenditur, quod incendium etiam eructant quædam loca vt fit in Sycilia. Cùm ergo aqua per hæc ignea loca currit, calorẽ, & putorem inde trahit, & ſi prope hunc locum erumpit flammiuoma ebullit. Si autem longius receſſerit, vix tepeſcit, deinde penitus frigeſcit.*

*Thermæ vnde.*

DE

## DE MORTIFERIS AQVIS.
### Cap. XLIX.

SVnt alia loca ſerpentibus plena, qui viciniam veneno inficiũt, quæ dum de terra ex ſurgit, bibentes interimit, vt fons Stix facit.

## DE MARI MORTVO.
### Cap. L.

QVod aqua maris mortui à ventis non mouetur, & in ſe nihil viuere patitur, fit ex fontibus bituminis, quibus ædifficata eſt Babel turris. Bituminis autem natura reſiſtit aquæ, & non diuiditur niſi menſtruo ſanguine. *Bituminis natura.*

## DE ANIMALIBVS Aquarum.
### Cap. LI.

PIſces & aues in aquis ideo commorantur, quia de his facta leguntur. Quod autem aues in aëre volant, & in terra habitant. Ideò fit quia aër eſt humidus, vt aqua & terra eſt aquæ permixa. Quod verò quædam animalia de terra creata, in aquis poſſunt morari, vt ſunt Crocodili & Hypotami, hoc *Cur aues in aere volent.* *Amphibia*

ideo fit quod aqua eſt valdè terræ permixta.

## DE SIGNIS IN MARI prognoſticis.
### Cap. LII.

CVm in nocturna nauigatione ſcintillat ad remos, tempeſtas erit. Et cum Delphini vndis ſæpius exiliunt, Quo illi feruntur inde ventus exurget & inde nubes vndis excuſſæ cœlum aperiunt.

De profundis aquarum emergamus, & ſcriptoria penna in aëra ſuſpendamur.

## DE AERE.
### Cap. LIII.

AEr eſt omne quod inani ſimile, à terra vsq; ad lunam conſpicitur, de quo vitalis ſpiritus hauritur. Et quia eſt humidus: Ideo in eo volant aues: vt in aqua natant piſces. In hoc cōmorantur dæmones, cum tormento diem iuditij præſtolantes. Ex quo ſibi corpora ſumūt dum hominibus apparēt.

*Demones in aere cōmorantur.*

## DE VENTIS
### Cap. LIIII.

*Ventus quid.*

DE hoc procreantur venti. Ventus enim eſt

*eſt aër, commotus, & agitatus. Et nihil aliud quam aëris fluctus qui in duodecim diuiditur. Et quisq; proprium vocabulum ſortitur. De quibus quatuor ſunt cardinales illorum collaterales.*

## *DE CARDINALIBVS VENtis. Cap. LV.*

*PRimus cardinalis Septētrio, qui & Aparctias faciens frigora, & nubes. Huius dexter Circius qui & Thratias, faciens niues, & grandinem. Eius ſiniſter Aquilo, qui & Boreas, conſtringens nubes.* Septētrio

*Secundus cardinalis. Subſolanus qui & Apeliotes, temperatus. Cuius dexter vulturnus qui & Calcias, cuncta deſiccans. Eius ſiniſter Eurus nubes generans.* Subſolanus.

*Tertius Cardinalis, Auſter, qui & Notus, humorem, calorem, atq; fulmina gignens. Huius dexter: Euroauſter, calidus. Huius ſiniſter Euronotus, temperatus. Auſtrales venti faciunt maiores tempeſtates, quia ex humili flant in mari.* Auſter. Quare Auſtrales vēti maiores cieant tēpeſtates.

*Quartus Cardinalis Zephirus, qui & Fauonius hyemem reſoluens, floreſq; producens. Huius dexter Africus, qui & Lybs,*

*tempeſtatem, tonitrua generans & fulmina. Eius ſiniſter Corus, qui & Argeſtes in Oriente nubila, in India faciens ſerena.*

*Aura. Altanus.*

*Extra hos ſunt duo venti Aura, & Altanus. Aura in terra, Altanus in pelago.*

## *DE NVBIBVS.*
### *Cap. LVI.*

*Nubes quomodo naſcantur. Nubes vnde dictæ.*

*VEnti ſuo ſpiramine aquas in aëra trahunt, quæ conglobatæ in nubes denſantur. Dicuntur autem nubes quaſi nimborum naues. Quibus dum venti incluſi erumpere nituntur magno murmure concrepant, & nubibus colliſis ignem terribilem excutiunt.*

## *DE TONITRVO ET Fulminibus.*
### *Cap. LVII.*

*Tonitru. fulgur.*

*STrepitus ergo nubium, & ventorum eſt tonitruus. Ignis inde excuſſus eſt fulgur, qui ignis ideo quæcunq; tãgit, penetrat, quia eſt ſubtilior noſtro igne, & magno ventorum vi impellitur. Ab Aquilone fulgur, & ab Euro tonitruus tempeſtatem, & ab Auſtro flatus æſtumq́; portendit.*

DE

## DE IRIDE.
### Cap. LVIII.

ARcus in aëre quadricolor, ex ſole & nubibus formatur dum radius Solis cauæ nubi immiſſus repulſa acie in ſolem refringitur. Sicut dum Sol in vas aqua plenum fulget. ſplendor in tecto redditur. De cœlo igneum. De aqua purpureum. De aëre Hyacinthium. De terra colorem gramineum trahit. *Iris quomodo fiat.*

## DE PLVVIA.
### Cap. LIX.

IMber ex nubibus deſcendit, dũ enim guttullæ in maiores guttas coëunt, aëris amplius natura non ferente, non vento impellente non ſole diſſoluente ad terras dilabuntur. *Quomodo fiat pluuia.*

Lenta autem, & iugis defluxio pluuia: Repentina, & preceps Nymbus in nubibus vocatur. Quæ licet de amaris aquis maris ſit hauſta, de ſolis igne in aëre decocta, dulceſsit: vt marina aqua humo infuſa dulcem ſaporem ſumit *Pluuia. Nymbus.*

## DE GRANDINE.

### Cap. LX.

Grandinis Generatio

STillæ pluuiæ, ventis, & frigore congelatæ in aëre coagulantur, & in lapillos grandinis mutantur.

## DE NIVE

### Cap. LXI.

Nix quomodo fiat

NIx aquæ vapore nondum denſato in guttas: ſed gelu præripiente, formatur, quæ in alto mari non cadit.

## DE RORE.

### Cap. LXII.

Vnde Ros Veniat.

ROs de aëre venit, quando aquis grauatus rigore noctis, & lunæ ſplendore deſtillat. Si vehementius eſt frigus noctis Ros in pruinam albeſcit.

Pruina.

## DE NEBVLA.

### Cap. LXIII

Vnde nebula fiat.

NEbula fit, dū humidæ exhalationes vaporaliter in aëra trahuntur, vel radijs Solis ad terram repelluntur.

## DE FVMO.

### Cap. LXIIII.

FVmus etiā aſcendit de aqua. Omne namq; corpus conſtat ex quatuor Elemētis. Lig-

*num autem eſt corpus, quod igni iniectum, ignis materies, q̃ ei ineſt ardet. Terræ verò materies vritur in cineremq̃. Aris, & aquæ materies per fumum euaneſcit in aërem.*

*Qualis lignorum reſolutio fiat in igne.*

*Ideo autem eſt amarus, quia natura aquæ eſt ſalſa, ſiue quia terræ permixta.*

*Fumus cur amarus.*

## DE IGNICVLIS.

### Cap. LXV.

*QVod in nocte videntur ſtellæ cadere, non ſunt ſtellæ, ſed igniculi, à flatu ventorum ab æthere, in aërem tracti, & mox in madido aëre extincti.*

## DE PESTILENTIA.

### Cap. LXVI.

*PEſtilentia naſcitur aëre ſiccitate vel calore, vel tempeſtate corrupto, qui ſpirãdo vel edẽdo perceptus, luẽ, mortemq; generat.*

*Vnde naſcatur peſtilentia aeris & vbi.*

*Hoc totum quod dixi infra lunam fit in aëre ſuperius verò ſemper ſerenum exiſtit.*

*Aërem tranſuolauimus, iam ætheris conſcendamus ignem.*

## DE IGNE.

### Cap. LXVII.

*IGnis quartum Elementum ſcribitur, qua-*

*Ignis vnde dicatur.*

ſi non gignis dicitur. A luna vſq; ad firmamentum extenditur. Is tantum eſt aëre ſubtilior: quantum aër aqua tenuior: aqua terra rarior. Hic & AEther, quaſi purus aër dicitur, & perpetuo ſplendore lætatur. De hoc Angeli corpora ſumũt, cum ad homines miſſi veniunt.

*Angelorũ corpora ignea ſunt.*

## DE PLANETIS.
### Crp. LXVIII.

IN hoc ſeptem ſtellæ ſingulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum curſum Planetæ, id eſt, erraticæ nominantur. Hæ immenſa celeritate firmamenti, ab Oriente in Occidentem rapiuntur: Tamen naturali curſu contra mundum ire comprobantur, ſicut muſca ſi in rota molendini circumferretur, ipſa tamen proprio motu contra reuolutionem eius ire videretur. Hæ nec inferius nec ſuperius propter obliquitatem ſigniferi vagãtes radijs autem ſolis præpeditæ, anomalæ, vel retrogradæ, vel ſtationariæ fiunt.

*Vnde planetæ dicãtur.*

*Motus planetarum anomalus.*

## DE LVNA.
### Cap. LXIX.

LVna eſt primus planetarum, & minima ſtel

*ſtellarum. Sed ideo maior cæteris videtur quia proxima terræ in primo circulo fertur. Huius corpus eſt globoſum, natura igneum, ſed aqua permixtum vnde & proprium lumen non habet. Sed in modum ſpeculi à ſole illuminatur. Et ideo luna, quaſi lucina, id eſt, à luce nata, nominatur. Quod autem quaſi nubecula in ea videtur, ex aquæ natura creditur. Dicitur enim ſi aqua permixta non eſſet terram vt ſol illuſtraret. Imò ob vicinitatem maximo ardore vaſtaret. Globus namq; eius multo terra eſt amplior. Licet ob altitudinem circuli ſui vix videatur modij fundo maior. Luna ea parte lucet, qua ſoli eſt oppoſita. Ea autem parte eſt obſcura, qua à ſole auerſa eſt, à ſole vero longius remota licet tota ſit: Tamẽ creſcit, nec minuitur, ſed obiectu terræ, lumine quod à ſole accipit viduatur. Hæc licet quotidie violentia firmamenti, ab Oriente in Occidẽtem feratur. Tamen contra mundum nitens, omnia zodiaci, ſigna viginti ſeptem diebus peruagatur. Circulum autem ſuum decem, & nouem annis perambulare affirmatur. Luna quarta ſi rubeat quaſi aurum ventoſoſtendet. Si in ſummo corniculo maculis in-*

Luna cur proprium lumẽ non habeat.

Nubecula in Luna vnde.

Proprius Lunæ motus.

Signa prognoſtica tempeſtatum in luna.

*greſcit pluuium menſis exordium. Si in medio, plenilunium ſerenum.*

## *DE MERCVRIO.*
### *Cap. LXX.*

*Motus Mercurij.* *SEcundus Planeta eſt Mercurius, qui & Stilbon, forma globoſus, natura igneus. Lunam magnitudine vincens. Lunam à ſole accipiens, Signiferum trecentis triginta nouem diebus percurrens.*

## *DE VENERE.*
### *Cap. LXXI.*

*Motus Veneris.* *TErtius planeta eſt venus, auroræ, & Zephali filius, qui & Heſperus Lucifer, & veſper rotundus, igneus, contra mundũ nitens vt Mercurius ſigniferum percurrit trecentis quadraginta octo diebus.*

## *DE SOLE.*
### *Cap. LXXII.*

*Sol vnde dictus.* *QVartus Planeta Sol, uel Phœbus, inde dictus, quod ſolus luceat cæteris ſtellis obſcuratis, vel quod ſit ſuper omnia lucens. Forma Sphæricus natura igneus, magnitudine octies terram vincens omnibus ſtellis*

*Magnitudo ſolis.*

*lumen*

lumen præbens. Hic ab Oriente in Occidentem impetu firmamenti fertur. Sed contra mundum nitens, per totum zodiacum, trecẽtis ſexaginta quinq; diebus graditur. Circulum autem ſuum viginti octo annis perambulare creditur. Huius præſentia diem, abſentia verò eius efficit noctem. Sicut enim tota die ſupra terram. Sic tota nocte lucet ſub terra. Aquilonarem partem cœli peragrãs facit nobis longos dies, & æſtatem. Auſtralem verò percurrens, inducit nobis breues & hyemem. Motus ſolis Cur æſtatẽ dies longiores hyemẽ breuiores.

## DE SIGNIS SOLIS PROgnoſticis.

### Cap. LXXIII.

Sol in ortu ſuo maculoſus, vel ſub nube latens pluuialem diem præſagit.

Si palleat, tempeſtuoſum.

Si concauus videtur ita vt medio fulgens radios ad Auſtrum, & ad aquilonem emittat tempeſtatem humidam, & ventuoſam.

Si pallidus in nigras nubes occidat. Aquilonem ventum.

## DE MARTE.
### Cap. LXXIIII.

Motus Martis.

QVintus Planeta eſt Mars, qui & Pyrois, globoſus, igne feruidus. Percurrit ſigniferum duobus annis.

## DE IOVE.
### Cap. LXXV.

SExtus Planeta eſt Iupiter, Rotundus temperatus, zodiacum peragrans XII annis.

## DE SATVRNO.
### Cap. LXXVI.

Motus Saturni.

SEptimus Planeta eſt Saturnus, q. & Phaëton filius Solis. In cuius exortu poſt triginta annos, qui imaginem de ære fuderit. Loqui verum hominem probabit. Sphericus, gelidus. Contra mundum vero ſuperiorem gradiens, Signiferum triginta annis percurrens. Omnes autem poſt quingentos, & triginta duos annos circulos ſuos peragunt, & eoſdem vt prius repetunt.

## DE ABSIDIBVS PLAnetarum. Cap. LXXVII.

A Terræ centro Abſides, id eſt, Circuli Planetarum altiſſimæ ſunt. Saturno in Scorpione. Ioui in Virgine. Marti in Leone.

Soli

*Soli in Geminis. Veneri in Sagittario. Mercurio in Capricorno. Lunæ in Ariete. Medijs omnium partibus, & econtrario ad terræ centrum humillime, atq; proxime.*

## *DE COLORIBVS PLAnetarum.*

### *Cap. LXXVIII.*

*SVus cuiq; color eſt. Saturno candidus. Ioui clarus. Marti igneus. Lucifero candens, Veſpero refulgens. Mercurio radians. Lunæ blandus. Soli ardens. Mutant autem colores à propinquis circulis. Nam frigidior, in pallorem, ardentior, in ruborem, Ventuoſus in horrorem à terra in obſcuritatem.*

## *DE VIA PLANETARVM.*

### *Cap. LXXIX.*

*SIgnifer, id eſt, circulus duodecim ſignorũ diuiditur in duodecim partes per latum. Sub his ferũtur ſeptem Planetæ. Sol ſub medijs tantum duobus. Luna per totam latitudinem. Venus excedens eum binis partibus. Mercurius ſub octo partibus, duabus in medio, quatuor ſupra. duabus infra. Mars ſub quatuor medius. Iouis ſub media. Et ſuper eã duabus. Saturnus ſub duabus medijs vt, Sol.*

## DE SONO PLANETArum. Cap. LXXX.

Cur ſonus Planetarũ à nobis nõ axandiantur.

HI ſeptem orbes cum dulciſona Harmonia voluuntur, ac ſuauiſsimi concentus eorum circuitione efficiuntur. Qui ſonus ideo ad noſtras aures non peruenit, q̃a vltra aërẽ ſit, & eius magnitudo noſtrum anguſtũ auditum excedit. Nullus enim ſonus à nobis percipitur, niſi qui in hoc aëre efficitur. A terra autem vſq; ad firmamentum Cœleſtis Muſica menſuratur, ad cuius exemplum noſtra inuenta affirmatur.

Muſica

## DE COELESTI MVSICA. Cap. LXXXI.

Proportiones. Planetarum.

INterra namq; ſi T. In Luna A. In Mercurio B. In venere C. In Sole D. In Marte E. In Ioue F. In Saturno G. ponitur: Profecto menſura Muſicæ inuenitur. vnde à terra vſq; ad firmamentũ ſeptem toni reperiũtur. A terra vſq; ad Lunã eſt Tonus. A Luna vſq; ad Mercurium, Semitonium. A Mercurio vſq; ad venerem, Semitonium. Inde vſq; ad ſolem, tria Semitonia. A Sole ad Martem tonus. Inde ad Iouem, Semitonium. Inde ad Saturnum Semitonium. Inde ad Signiferum tria Semitonia. Quæ ſimul iuncta ſeptem tonos

effi-

efficiunt. Tonus autem habet 1500. Sexcenta viginti quinq; miliaria. Semitonium vero 7800. duodecim miliaria, & ſemiſſ: Vnde & Philoſophi nouem Muſas finxerunt, qa à terra, vſq; ad Cœlum conſonantias nouem deprehendunt, quas homini naturaliter inſitas inuenerunt. Cur Philoſophi nouẽ Muſas finxerint.

## DE HOMINE MYCROKOSMO. Cap. LXXXII.

SIcut enim hic mundus Septem tonis. Et noſtra Muſica. ſeptem vocibus diſtinguitur. Sic compago noſtri corporis ſeptem modis cõiungitur, dum corpus quatuor Elementis. Anima tribus viribus copulatur, quæ Muſica arte, naturaliter recõciliãtur. Vnde & homo μικροκοσμος, id eſt, minor mũdus dicitur. dum ſic conſono numero Cœleſti Muſicæ par cognoſcitur.

## DE MENSVRA SIVE Planetarum diſtantia. Cap. LXXXIII.

A Terra autem vſq; ad lunam ſunt 12600. Stadiorum, quod ſunt 15625. miliaria A Luna ad Mercurium 7812. milia-

*ria & ſemiſſe. Inde ad Venerem tantùm. Inde ad Solem 2 3 4 3 7. & ſemis, miliar. A ſole ad Martem 1 5 6 3 0. mil. Ad Iouem 7 8 1 2. mil. & ſemis. Inde ad Saturnum tantùm. Inde ad Firmamentum 2 3 4 3 7. & ſemiſſe mil. Sunt itaq; à terra vſq; ad cælum miliaria Centum milia, & nouem milia, & trecenta ſeptuaginta quinq; miliaria.*

*Ignem per globos Planetarum tranſcendimus, nunc cæleſtia penetremus.*

## *DE COELO.*
### *Cap. LXXXIIII.*

*Cœlum vnde dictum*

*Coelum dicitur, quaſi caſa Ilios, id eſt, domus ſolis quaſi vas cælatum. Quia eſt ſtellis inſignitum. Eſt autem cælum ſubtilis igneæq; naturæ, rotundum, & à cētro terræ æquis ſpacijs vndiq; collatum. Vnde & conuexum mediumq; vndiq; cernitur, & inenarrabili celeritate quottidie cirūcagitur.*

*Prognoſtica tēpeſtatum è cæli ſpecie.*

*Cælum ſi veſpere rubet, Serenum diem. Si mane, tempeſtuoſum ſignificat.*

*Duæ ſunt ianuæ cæli, Oriens, qua Sol exit.*

*Occidens qua ſol intrat.*

DE

## DE CLIMATIBVS.
### Cap. LXXXV.

CLimata, id eſt, plagæ cœli ſunt quatuor. Orientalis ab ortu.

Solſtitialis ad Brumalem.

Auſtralis inde ad occaſum Brumalem.

Occidentalis exhinc vſq; ad Solſtitialem.

Septentrionalis ab occaſu ſolſtitialis ad ortum eiuſdem.

## DE PLAGIS
### Cap. LXXXVI.

ORiens ab ortu ſolis.

Occidens ab occaſu eius vocatur.

Meridies quaſi Medidies dicitur.

Septentrio autem à ſeptem ſtellis appellatur. Trion dicitur bos, quaſi Terion. Inde Septentriones, quaſi ſeptem teriones, id eſt, boues. Hæ plagæ Græce ἀνάτολή; δύσις; ἄρκτος; μεσημβρία dicuntur, de quibus nomen Adam qui eſt minor mundus, componitur.

*Adæ nomē è quatuor plagis mūdi compoſitum eſt.* ΑΔΑΜ

## DE FIRMAMENTO.
### Cap. LXXXVII.

SVperius cœlum dicitur firmamentum, eo quod ſit inter medias aquas firmamentū.

*Hoc eſt forma ſphæricum, natura aqueum, ſtellis vndiq; verſum ornatum. Eſt autem ex aquis inſtar glaciei in modum chriſtalli ſolidatum, vnde & firmamentum dicitur.*

## *DE AXE.*
### *Cap. LXXXVIII.*

*IN hoc ſunt duo poli à poliendo dicti. Vnus Borealis, qui à nobis ſemper videtur: Alter Auſtralis, qui nunquam à nobis cernitur, quia in diuexo orbis poſiti terræ tumore impedimur. In his cœlum, vt rota in axe voluitur.*

## *DE STELLIS.*
### *Cap. LXXXIX.*

*Cur ſtellæ in die non appareãt. Stellæ vnde ſic dictæ. Differunt ſtella ſidus & Aſtrũ.*

*COelum eſt vndiq; ſtellatum. Sed ideo in die non apparẽt quia fulgore ſolis victæ latent. ſicut ſol nube tectus non lucet. Stella quaſi ſtans. Luna ſtant enim ſtellæ firmamẽto infixa, & non cadunt eo mira celeritate currente. Vna autem dicitur ſtella, multæ ſimul, Aſtrum vel ſydus.*

## *DE SYDERIBVS*
### *Cap. XC.*

*Sidus vnde dicatur*

*SYdera dicuntur à conſyderando, eo quod nauigan*

nauigantes, vel itinerantes ea conſyderent. Sunt autem ſtellæ omnes rotūdæ & igneæ: Quarum diſpoſitio ſoli Deo eſt cognita, qui ſtellas numerat, quarum nomina ſigna, poteſtates, curſus, loca, tempora, ſolus nouit. Sapiētes vero mundi nomina animalium, vel hominum eis impoſuerunt, vt ab hominibus dinoſci poßint.

## DE ZODIACO. Cap. XCI.

IN medio firmamenti ſunt duodecim ſigna per tranſuerſum diſpoſita, æqualiter per circuitum diſtincta. Horum diſpoſitio dicitur Græce Zodiacus, latine ſigniffer, eo quod fert ſigna, quæ animalium habent nomina. ζῶον enim dicitur animal.

Zodiacus vnde ſit dictus.

## DE ARIETE. Cap. XCII.

PRimum ſignum Zodiaci eſt Aries extans ex pluribus ſtelis ſecundum fabulam is qui aureo vellere Phryxum & Hellen trans mare ad Colchos vexit, quare inter ſydera trāſlatus eſt. Pro ſigno autem ponitur. Quia ſicut Aries tota eſtate in latere dextro

Quare Aries pro ſigno ponatur.

*ac tota hyeme in ſiniſtro cubat. Sic ſol ſub illo ſigno gradiẽs dextram cœli partem perambulat.*

## *DE TAVRO.*
### Cap. XCIII.

*SEcundum ſignum eſt Taurus, ob id quod Iupiter in raptu Europæ in taurũ eſt verſus & inter ſydera tranſlatus. Ob ſignificationem autem, quod ſol ſub illo ſigno poſitus radios ſuos, vt cornua fortius exerit, & terram arabilem reddit.*

## *DE GEMMINIS.*
### Cap. XCIIII.

*TErtium ſunt Gemmini, ſcilicet Caſtor, & Pollux, filij Iouis, à Troia reuerſi inter ſydera tranſlati. Pro ſigno autem ponuntur, quia ſol ſub hoc ſigno duobus diebus amplius, quam ſub alijs moratur.*

## *DE CANCRO.*
### Cap. XCV.

*QVartum eſt Cancer, qui maximus Herculem percuſsit dum Hydram Nereis occidit, & ideo ſydera promeruit: Significat autem*

autem, quod ſicut Cācer retrocedit: ſic ſol ad illud veniens curſum ſuum retroflectit.

## DE LEONE
### Cap. XCVI.

QVintum eſt Leo, qui maximus ab Hercule occiſus inter ſydera eſt tranſlatus. Deſignat autem, quod ſicut Leo in anteriori parte calidæ naturæ. In poſteriori eſt frigidæ. Ita ſol in illo ſigno Auguſtum menſem prius facit calidum, ad poſtremum frigidū.

## DE VIRGINE.
### Cap. XCVII.

SExtum eſt virgo, ſcilicet Erigone filia Icari ſacerdotis, inter aſtra rapta. Ob ſignū autem ponitur. Quia ſicut virgo non parit: Sic September illius ſigni menſis, nil gignit.

## DE LIBRA.
### Cap. XCVIII.

SEptimum autem eſt Libra, quam tenet virgo ſcilicet Blance vel iuſtitia Aſtræi regis filia, ob æquitatem Iuſtitia dicta, & inter ſydera tranſlata. Merita hominum penſat, & in libra Ioui repræſentat. Hæc pro ſuperiori virgine ponitur. Signat au-

tem quod Soli æquinoctium faciat, cùm ſub illo ſigno ambulat.

## DE SCORPIO.
### Cap. XCIX.

OCtauum eſt Scorpius, qui maximus Orionem percuſsit dum beſtias terræ occidit, & ob terræ gratiam aſtra meruit. Pro ſigno autem grandinum ponitur, quia illo menſe, nempe Nouembri, in quibuſdam terris crebrius fiunt.

## DE SAGITTARIO.
### Cap. C.

NOnum Sagittarius eſt, qui & Arcitenēs, ſcilicet Aleon Cretenſis, qui Scorpionem, qui filium ſuum rapuit ſagittauit, nec filium tetigit, & ideò ſydera meruit. Deſignat autem crebros fulminum ictus, qui in Decēbri contingunt in aliquibus locis. Quod inferiora membra deſunt: Significat quod tum Sol infera petit.

## DE CAPRICORNO.
### Cap. CI.

DEcimum eſt Capricornus, Iouem paruulum à patre proiectum, capra clam aluit: quam ipſe poſtea inter ſydera tranſtulit. Eſt autem

autem ſignificatio, quod ſicut Caper altum petit: ita illo tempore Sol ad alta cœli conſcendit. Quod extrema pars eius deſinit in piſcem: deſignat finem illius menſis eſſe pluuialem.

## DE AQVARIO.
### Cap. CII.

VNdecimum eſt Aquarius ſcilicet Ganymedes, Troili regis filius. Iouis amaſius, ab ipſo inter aſtra locatus, & pincerna Deorum factus. Significat autem quod ſolutis niuibus vndoſum eſt illud tempus.

## DE PISCIBVS.
### Cap. CIII.

DVodecim ſunt piſces. Cum Dij Typhoëum Gygantem fugerent in AEgyptũ. Venus & Cupido filius eius verſi in piſces latuerũt in aquis. Cumq; homines diu piſces deuitarẽt ne forte Deos deuorarent: Illi duo tranſlati ſunt in ſydera. Deſignat verò illud tempus eſſe pluuiale.

## HYADES.
### Cap. CIIII.

HYades dicuntur pluuiales. Hya enim Graecè eſt pluuia, vndè latine dicuntur

Suculæ, à Suco. Sunt autem ſeptem Stellæ in fronte Tauri.

## PLEIADES.
## Cap. CV.

PLeiades dicuntur, quaſi plures. Pliō enim eſt plus. Sunt autem Septem ſtellæ in genu tauri. Fuerunt autem filiæ Atlantis regis & Plaiæ. A patre ergo Atlantides, à matre Pleiades, quaſi plaiades: Ab inſula Heſperides. Hæ & vergiliæ dicuntur, quia verno tēpore oriūtur. Ex his vna fuit Maia, mater Mercurij.

## ARCTON.
## Cap. CVI.

A Dextris Zodiaci, verſus Aquilonem ſunt hæc ſigna. Iuxta axem Arctō, ſcilicet plauſtrum, quod ſydus & Septentrio, & Helicæ nominatur. Cuius ſtellæ Sole maiores traduntur. Fuit autem Caliſto Lycaonis regis filia, à Ioue oppreſſa. Sed à Iunone in vrſam verſa. A Ioue vero rapta iterum inter aſtra collocata.

## BOOTES.
## Cap. CVII.

SEquitur Sydus Bootes, id eſt cuſtos plauſtri, quod & Arctophylax. Erat autē Cali-

ſto

ſto filius, à Ioue inter ſydera poſitus.

## ARCTVRVS.
### Cap. CVIII

DEinde eſt Arcturus, ſcilicet plauſtrum, quod & Cynoſura dicitur. Hæc etiam à Ioue oppreſſa, à Iunone in Vrſam verſa. A Ioue inter aſtra eſt tranſlata.

## PHYTON.
### Cap. CIX.

INter duo plauſtra eſt Serpens Phyton, quē maximum Apollo poſt diluuium Latonæ à Iunone immiſſum, occidit, & ob inſignem virtutem inter aſtra tranſtulit.

## CORONA.
### Cap. CX.

IVxta eſt Corona, à Vulcano facta. A Baccho verò Adriadnæ Minois & Paſiphaæ filiæ data, & inter aſtra locata.

## HERCVLES.
### Cap .CXI.

INde Hercules ſydus. Cum Gygantes contra Deos, pugnarent: Dijs in vnam partem

*cœli venientibus: Cœlum ruere voluit. Sed Hercules hoc cum Atlante ſuſtinuit. Ideo cœlum promeruit.*

## *LYRA.*
### Cap. CXII.

*HVic iuxta eſt Lyra à Mercurio inuenta.*

## *CYGNVS.*
### Cap. CXIII.

*PRope hanc Cygnus Iupiter ob amorem Lædæ reginæ in Cygnum eſt cõuerſus, & inter aſtra raptus.*

## *ZEPHEVS.*
### Cap. CXIIII.

*HVic coniungitur Zephæus rex, & Caßiopæa vxor eius.*

## *PERSEVS.*
### Cap. CXV.

*CVi aſſociatur Perſeus filius Iouis, & Danaes habens iuxta ſe ſydus* ANDROMADAE *vxoris ſuæ filiæ Cephei regis.*

## *DELTOTON.*
### Cap. CXVI.

*QVibus admiſcetur Deltotõ, quod & triãgulum*

gulum videlicet forma AEgypti, quia ſerua-uit Deos à facie Typhæi.

## SERPENTARIVS.
### Cap. CXVII.

IVxta quod locatur ſerpentarius, ſcilicet Erichtonius q; & auriga, qui primus quadrigam iunxit, eo quod ſerpētinos pedes habuit. Vnde & Græcè Ophyuchus dicitur. ὄφυς enim eſt Serpens.

## PEGASVS.
### Cap. CXVIII.

HVic iuxta ponitur Pegaſus, ſcilicet equus alatus & cornutus, igneũ halitũ, & ferreos pedes habens. A ſanguine Gorgonis creatus.

## DELPHINVS.
### Cap. CXIX.

CVi iungitur Delphinus, qui Neptuno Amphitritem in coniugium adduxit, & ideo ſydera promeruit.

## AQVILA.
### Cap. CXX.

DEinde eſt Aquila Iupiter in Aquilam verſus Ganymedem rapuit, quem inter

ſydera tranſtulit.

## SAGITTA
### Cap. CXXI.

HVic ſubeſt Sagitta, ab Hercule Phylocteti data per quam expugnata eſt Troia.

A ſiniſtris vero Zodiaci verſus Auſtrum ſunt hæc ſigna.

## HYDRA
### Cap. XXII.

HYdra, quæ habuit quinquaginta capita, ab Hercule occiſa, & ob inſigne inter ſydera tranſlata.

## CRATER.
### Cap. CXXIII.

SVper hunc Grater, in quo Tagaton, id eſt, ſummus Deus paſtam miſcuit, de qua animas fecit, de qua adhuc animæ lætheum poculum bibunt, cum corpora intereunt.

*Animæ vnde ſint.*

## CORVVS.
### Cap. CXXIIII

SVper hanc eſt coruus ab Apolline dilectus & inter aſtra raptus.

## ORION.
## Cap. CXXV.

INde eſt Oriō, qui ab vrina natus, inter ſydera eſt tranſlatus. Huius ſtellæ ſi fulgent ſerenum erit, Si obſcurantur, tempeſtas.

## PROCHYON.
## Cap. CXXVI.

IVxta hunc Prochyon Anicani, quod eſt Anticanis dicitur, qui canis Orionis fertur, & ob inſigne meritum inter ſydera locatus.

## CANICVLA.
## Cap. CXXVII.

HVic connectitur Canicula, quæ & Syrius dicitur et ab hac dies Caniculares nominantur. Fuit autem canis Erygones filiæ Icari ſacerdotis, quæ dolens patrem necatum, laqueo ſe ſuſpendit dum eum canis ducatu inuenit. Ambo autem ſunt inter ſydera rapti.

## LEPVS.
## Cap. CXXVIII.

DEinde eſt Lepus, qui à Ganymede agitatus, á Ioue inter aſtra eſt tranſlatus.

## ERIDANVS.

### Cap. CXXIX.

SEquitur Eridanus fluuius, qui & Padus. Erat autē Phaton Phœbi filius, qui currū regere patris inſcius, mundum incendit, & ideo fulmine Iouis in hoc flumine interijt. Qui in Eridanum mutatus, inter ſydera eſt tranſlatus.

## CETVS.

### Cap. CXXX.

CVi aſſociatur Cetus, quem Perſeus occidit dum Andromedam deuorare voluit, quem Iupiter ob inſigne filij, inter aſtra locauit.

## CENTAVRVS.

### Cap. CXXXI.

IVxta hunc eſt Centaurus, ſcilicet magiſter Achillis, & ob nimiam virtutem in cælo locatus.

## ARA.

### Cap. CXXXII.

SAcrarium etiam, id eſt, altare in quo Dij iurauerunt, cum Saturnus, & Iupiter inter ſe pugnauerunt.

## ARGO.
### Cap. CXXXIII.

INde eſt Argo, videlicet prima nauis, apud Argos ciuitatem à Tipheo facta, & in cælum rapta. *Argo prima nauis.*

## PISTRYX.
### Cap. CXXXIIII.

AD extremum eſt Piſtrix ſiue Chymera quæ beſtia capite Leo, media capra, draco fuit cauda, à Bellephoronte occiſa, & inter ſydera tranſlata.

## CANOPVS.
### Cap. CXXXV.

ESt & Canopus ſydus AEgypti præclarum, quod à nobis minimè videtur. Sicut nec à Trogoditis iuxta AEgyptum Septentrio.

Ex his ſignis ſemper dimidia pars ſuper terrã Dimidia, id eſt, ſub terra, & pars cæli, quæ ſuper terrã apparet Hemiſphærium vocatur, id eſt, dimium cælum.

## LACTEA ZONA.
### Cap. CXXXVI.

LActea autem Zona ideò candida eſt, quia omnes ſtellæ fundunt in eam ſua lumina. *Cur candida ſit lactea Zona.*

## *DE COMETA.*
### Cap. CXXXVII.

*COmetæ ſunt ſtellæ flammis crinitæ, in lactea zona verſus Aquilonem apparentes, regni mutationem, aut peſtilētiam, aut bella, vel ventos, æſtus, vel ſiccitatem portendentes. Cernuntur autem ſeptem diebus ſi diutius, octoginta.*

*Sydera fabuloſis inuoluta, imò polluta perluſtrauimus. Altius ſcandentes aſtra matutina ſolemq́; ſolis inſpiciamus.*

## *AQVAEVM COELVM.*
### Cap. CXXXVIII.

*SVper firmamentum ſunt aquæ inſtar nebulæ ſuſpenſæ, quæ cœlum in circuitu ambire dicuntur, vnde & Aqueum cœlum dicitur.*

## *SPIRITVALE COELVM.*
### Cap. CXXXIX.

*SVper quod eſt Spirituale cœlum, hominibus incognitum, vbi eſt habitatio Angelorum per nouem ordines diſpoſitorum. In hoc eſt Paradyſus Paradiſorum, in quo recipiuntur*

*Animæ ſanctorū vbi ſint.*

piuntur animæ ſanctorum, hoc eſt, in cœlum quod in principio legitur cũ terra creatum.

## COELVM COELORVM.
### Cap. CXL.

HVic lõge ſupereminere dicitur cœlum cœlorum in quo habitat Rex Angelorum.

FINIS LIBRI PRIMI, de imagine mundi.

# DE IMAGINE MVNDI.

## LIBER SECVNDVS.

Priori libello globum totius mundi oculis corporis, repræſentauimus. Sequenti iam tempus in quo voluitur, occulis cordis anteponamus.

### *DE AEVO.*

*Cap.* I.

*AEuum quid ſit.*

*AEuum eſt ante mundum, cum mundo poſt mundum. Hoc ad ſolum Deum pertinet, qui non fuit, nec erit, ſed ſemper eſt.*

### *DE TEMPORIBVS AEternis. Cap.* II.

*Angelos ante mundū cœpiſſe.*

*TEmpora æterna ſub AEuo ſunt, & hæc ad archetypum mundum, & Angelos perti-*

pertinent, qui ante mundum eſſe cœperunt, & cum mundo ſunt & poſt mundum erunt.

## DE TEMPORIBVS MVNDI. Cap. III.

TEmpus autem mũdi eſt vmbra æui. Hoc cum mundo cœpit, & cum mundo deſinet. Veluti ſi funis ab Oriente, in Occidentem extenderetur, qui quotidie plicãdo collectus, tandem totus abſumatur. Per hoc extenduntur ſecula. Sub hoc currunt vniuerſa in hoc mundo poſita. Hoc vniuſcuiuſq; vita menſuratur. Hoc ſeries dierum, & annorum terminatur. *Similitudo de fine temporis.*

Tempus autem à temperamento dicitur. Et nihil aliud eſt, quam viciſſitudo rerum. *Tempus vnde dicatur & quid ſit.*

Hocq; in atomos, oſtenta, momenta, partes, minuta, punctos, horas, quadrãtes, dies, ebdomadas, menſes, viciſſitudines, annos, cyclos, ætates, ſæcula, diuiditur. *Partes temporis.*

## DE ATOMIS. Cap. IIII.

ATomus dicitur inſecabile. Eſt enim minus quam illud quod volat in ſole. Eſt autem minimum temporis ſpatium, ſicut *Atomus quid ſit.*

*motio palpebræ oculi, quæ & ictus oculi, dicitur, & eſt trecenteſima ſeptuageſima ſexta pars oſtenti.*

## *DE OSTENTIS.*
### *Cap. V.*

Oſtentum quid.

*Oſtentum eſt, quod aliquid oſtendit aſpicientibus. Eſt autem ſexageſima pars vnius horæ, habens in ſe trecentos ſeptuaginta ſex atomos.*

## *DE MOMENTIS.*
### *Cap. VI.*

Momentũ quid.

*Momentum eſt motus ſyderum, vnde & dicitur. Eſt autem quadrageſima pars horæ continens Oſtentum & dimidium.*

## *DE PARTIBVS.*
### *Cap. VII.*

Pars quid

*Partes à partitione Zodiaci dicuntur, quì in tricenos dies per ſingulos menſes partitur. Eſt autem decimaquinta pars horæ, continens in ſe duo momenta & duas partes momenti.*

## *DE MINVTIS.*
### *Cap. VIII.*

Minutum quid.

*Minutum eſt minus interuallum in horologio. Eſt autem decima pars, aliquando quin-*

quinta hora. Habens duo minuta, & dimidium horæ.

## DE PVNCTIS.

### Cap. IX.

PVnctus autē eſt paruus tranſcenſus pũcti in horologio. Eſt autē quarta pars in ſole.

## DE HORIS. Cap. X.

HOra eſt terminus cuiuſq; rei. Eſt autē hora, quamdiu ſtans aqua, à iactu lapidis mouetur, & eſt duodecima pars diei, conſtãs ex quatuor Punctis, Minutis decem, partibus quindecim, Momentis quadraginta. Oſtentis ſexaginta. Atomus vigintiduob. mil. quingētis, & ſexaginta. Et dicitur ab Horologio. Id eſt, certus limes in horologijs tēporis *Hora quid ſit.*

## DE QVADRANTE.

### Cap. XI.

QVadrans eſt quarta pars diei habens tres horas. Naturalis autem diei horas ſex. *Quadrans quid.*

## DE DIE.

### Cap. XII.

DIes autē eſt ſeptima pars Ebdomadæ vulgaris, cōtinēs duodecim horas. Naturalis autē vigintiquatuor. Dicitur autē dies à diſcernēdo: eò quod lucē à tenebris diſcernat. *quid ſit dies.* *Vnde dicatur dies.*

*Alia diei definitio.* *Eſt autem dies aër ſole illuſtratus. Cum enim ſol eſt ſuper terram, eſt hic dies: cum ſub terra eſt ibi dies.*

## *DE LONGIS ET BREuioribus diebus.*

### Cap. XIII.

*Sol cum Aquilonarem partem cœli circuit, nobis in deuexo terræ poſitus, citius ſurgit, & tardius occidit. Et ideò longiores dies facit. Cùm verò Auſtralem perambulat, nobis tardius ſurgere, & citius occidere videtur, quia tumor mediæ terræ, quæ rotunda eſt viſui noſtro obijcitur, & tunc quidem nobis dies breuiores: illi autem parti longiſſimos facit.*

## *DE ZODIACI SIGNIS, & paralelis Solis.*

### Cap. XIIII.

*Zodiacus namq; ex duodecim ſignis conſtans, ab Aquilone, in Auſtrum porrectus, flexuoſo lapſu cœlum cingit, sub quo ſol incurrens mundum in octo Paralelos, id eſt, circulos diuidit, quibus ſingulis diuerſum diem facit.* *Zodiac. quantitas* *Longitudo autem Zodiaci in trecentas ſexaginta partes ſecatur. Latitudo*

titudo eius in duodecim partitur.

Partium autẽ ſectio nihil aliud eſt, quam ſolis vnius diei progreſſio. Vnum ergo quodque ſignum, per duas horas oritur, per duas occidit: & in vnoquoq; ſol triginta diebus immoratur. Qui dum fluxuoſo draconis meatu ſub ſignis obliqui Zodiaci currit, mũdum in octo circulos diſtinguit.

## DE PRIMO CIRCVLO. Cap. XV.

PRimus circulus ab India verſus Auſtrum per mare rubrum, & Affricam ad columnas Herculis peruenit. Hercules enim orbem pertranſiens, ibi columnas fixit vbi finem mundi eſſe putauit. In hoc ergo circulo æquinoctiali die medio gnomon, id eſt, radius horologij ſeptem pedum vmbrã quatuor pedũ longã reddit, dies longiſſimus quatuordecim horas æquinoctiales habet. Columnæ Herculis.

## DE SECVNDO CIRCVLO. Cap. XVI.

SEcũdus ab occaſu Indiæ, per Medos vadit & Perſas, Arabiam, Syriã, Cyprum, Cretam, Lilibæum montem Syciliæ, & Septen-

*trionalia Affricæ pertingit vmbilicus æquinoctio triginta quinq; pedũ, vmbrã viginti tantũ pedũ reddit. Dies maxima eſt horarũ, quatuor decim, & quinta parte vnius horæ.*

## DE TERTIO CIRCVLO. Cap. XVII.

T*Ertius oritur ab Indis Imauo proximis, & per Caſpias portas, Taurum, Pamphyliam, Rodũ, Cycladas, Syracuſas, Catinam, & Gades tendit. Gnomones cuncta vmbrã trigintaocto vnciarum faciunt. Lõgiſsimus dies horarum quotuordecim, & dimidia ac trigeſima vnius horæ.*

## DE QVARTO CIRCVLO. Cap. XVIII.

Q*Vartus ab altero latere Imaui per Epheſum Mare Cycladum, Septentrionalia Syciliæ, Narbonẽſis Galliæ, exortiua, Affricæ matutina, tendit ad occaſum. Gnomon triginta quinq; pedum, facit vmbram viginti pedum. Longiſsimus dies habet quatuordecim horas, & tertias duas vnius horæ.*

## DE QVINTO CIRCVLO. Cap. XIX.

Q*Vinto circulo ab introitu Caſpij maris*

com

continentur Baſtria, Armenia, Macedo-
nia, Tharentum, Thuſcum mare. Balcares.
Hiſpania. Media. Gnomon ſeptem pedum
vmbram ſex pedum reddit. Maximus
dies horarum quindecim.

## DE SEXTO CIRCVLO. Cap. XX.

SExtꝰ amplectẽs Caſpias gẽtes. Caucaſum,
Samotraciã. Illyricos, Cãpaniã Etruriam
Maſſiliam, Hiſpaniam, Taraconenſem Me-
diã, & inde per Luſitaniã vadit. Gnomõ pe-
dũ nouẽ vmbrã octo pedũ facit. Lõgiſſimus
dies horarũ quindecim & nona parte hora.

## DE SEPTIMO CIRCVLO. Cap. XXI.

SEptimꝰ ab altera ora Caſpij maris incipit,
& ꝑ Thraciam verſus Venetiã, Cremonã,
Rauennã, Tranſalpinam, Galliã, Pyreneum,
Celtibriam vadit. Gnomon triginta quinq;
pedũ vmbra triginta ſex. Ampliſſima dies,
horarũ quindecim, et q̃ntarũ ꝑtiũ hora triũ.

## DE OCTAVO CIRCVLO. Cap. XXII.

OCtauus à Tanai ꝑ Mœoticũ lacũ & Sar-
matas, Dacos, partẽq; Germania Gallia

ingreditur, Gnomon, vt ſupra. Longiſsimus dies horarum ſedecim.

## DE QVATVOR SOLIS circulis. Cap. XXIII.

EXtra hos facit ſol quatuor circulos. Duos in Auſtro & duos in Aquilone. Vnum in Auſtro per inſulam Meroen, & Ptolemaidam rubri maris vrbem, vbi longiſsimus dies eſt horarum duodecim, dimidia hora amplior. Alterum per Syenem AEgypti, qui eſt horarũ tredecim. Vnum in Aquilone per Hyperboreos montes, & Britanniam, horarum ſeptemdecim. Alterum Schyticum à Riphæis iugis in Thilen, in quo ſex menſibus eſt dies, ſex alijs nox.

Ptolemais

## DE VARIA VMBRA DIErum. Cap. XXIIII.

ADhuc in alijs terrarum locis variat ſol vmbram. Nam vmbilici qui Gnomon dicitur vmbra in Aegypto æquinoctiali die, meridie paulo plus, quam dimidiam gnomonis menſuram efficit. In Roma nona pars gnomonis deeſt vmbra. In Ancona ſupereſt quinta triceſima. In venetia ijſdem horis

vmbra

umbra gnomōi par ſit. In Syene ſolſtitiali die medio nulla ſit umbra, ibiq; puteus à philoſophis ad hoc ipſum factus totus interi⁹ illuminatur. In meridie ſunt populi Fiſcij dicti, q; vmbrā ex vtroq; latere mittūt. In India ſuper flumē Hypanim in ſolſtitiali die vmbra abſumitur. Apud Troglodytas quadraginta quinq; diebus ante ſolſtitium, & totidem poſtea vmbra penitus abſumitur. Et his nonaginta diebus vmbra in meridiem iacitur. In Meroe inſula Nili, bis in anno abſumitur vmbra, cum ſol eſt in duodecima parte tauri, & in decimaquarta parte leonis. In India ſunt loca Aſcia dicta, vbi non ſunt vmbræ, & ſeptentrio ibi non videtur.

Puteus in Syene.

Fiſcij populi.

## DE HORIZONTE.
### Cap. XXV.

HOrizō eſt quantū aſpectus cuiuſq; in circuitu circumſcribit. & cœlum vndiq; terræ imminere putatur. Quod in lato mari melius dinoſci poteſt, vbi nullum obſtaculum ſe præfert. Extenditur autem Horizon in ſpacium longitudinis trecentorum & nouem ſtadiorum. Centum enim & octoginta

Quid ſit Horizon.

ſtadia nõ excedit acies contra videntis. Sed viſus cum ad hoc ſpacium venit, deficiens in rotunditatem recuruatur. Hic numerus geminatus in ante, & retrò Horizontem efficit.

## DE DIERVM DIVISIONE. Cap. XXVI.

Mane vnde dictum

DIes vulgaris habet tres diuiſiones, Mane, Meridiem, Supremum.

Mane ab ortu ſolis, vſq; ad quartam horam, dictum à Mane, quod eſt bonum. Nihil enim melius luce, vel à manibus, id eſt, dijs infernalibus, qui diem tota nocte incluſum mane emittunt. Meridies à media die. Et dicitur quaſi mera & pura dies.

Meridies vnde dicta.

Suppremum ab hora nona, vſq; ad ſolis occaſum, & dicitur inde: quod ſupprimat ſolis curſum.

Supremũ vnde dictum.

## DE INITIO ET FINE dierum. Cap. XXVII.

HEbræi, Chaldæi, & Perſæ, diem à mane inchoantes in mane finiunt. AEgyptij ab occaſu, vſq; ad occaſum: Romani à medio noctis

noctis, vſque in medium. Vmbri, & Athenienſes à meridie vſq; ad meridiem. Chriſtiani à veſpera vſq; in veſperam.

## DE NOMINIBVS DIERUM. Cap. XXVIII.

SIc autem Hebræi nominant dies. Vna Sabbathi, vel Sabbathorum, vel prima Sabbathi. Secunda Sabbathi, Tertia Sabbathi. Quarta Sabbathi, Quinta Sabbathi, Sexta Sabbathi, Sabbathum.

Pagani verò ſic, Dies Solis, Dies Lunæ, Dies Martis, Dies Mercurij, Dies Iouis, Dies Veneris, Dies Saturni. Sed cum hæc nomina à Planetis habeant, videndum cur non eundem ordinem ſeruent. Sed hæc cauſa eſt, Dies naturalis diuiditur in viginti-quatuor horas, ex quibus ſi vnicuiq; Planetæ per circuitum ter vna hora tribuitur, expenſis omnibus, cui Planetæ prima iterum obuenit, huic & nomẽ diei aſcribitur. Chriſtiani autem ſic dies nominant. Dominica dies. Secunda feria. Tertia feria. Quarta feria. Quinta feria. Sexta feria. Sabbathum.

*Cur ordõ Planetarũ in denominatione dierum Septimana non ſeruetur.*

*Chriſtiani quomodo dies nominent.*

## DE NOCTE.
### Cap. XXIX.

*Nox vnde dicatur & quid ſit.*

*NOx dicitur à nocendo, eò quod noceat oculis, Eſt autē nox, ſolis abſentia, terræ vmbra. Fit autem vmbra à corpore, & luce. Dum enim lux ſolis eſt ſub terra, corpus terræ vmbram ſuperius parit, quæ vſq; ad lunam pertingit.*

## DE VMBRA.
### Cap. XXX.

*DIcitur autem vmbra, quaſi ob radium ſcilicet ſolis, vbi lux par eſt corpori. Ibi par eſt & vmbra: vbi lux maior corpore: ibi vmbra deficit, vbi lux corpore exilior. Ibi vmbra in infinitum creſcit. Cum ſol Auſtralē cœli plagam perluſtrat, nobis noctem prolongat. Cùm verò Aquilonarem, eam nobis breuiat.*

## DE ECLYPSI.
### Cap. XXXI.

*Quomodo fiat Ecclypſis.*

*CVm luna vmbram noctis incidit, à luce deficit, & hic defectus Ecclypſis dicitur. Sol verò obiectu lunæ Ecclypſin patitur, dū uidelicet luna ſub ſole in eadē linea graditur.*

DE

## *DE SEPTEM TEMPORIbus noctis.*

### Cap. XXXII.

*HAbet autem nox ſeptem tempora. Videlicet, Crepuſculum, Veſperum, Conticinium, Intempeſtum, Gallicinium, Matutinum, Diluculum.*

*1 Crepuſculum eſt dubia lux. Creperum enim dicitur dubium. Eſt autem inter tenebras & lucem.*

*2 Veſperum, à ſtella quæ veſperus nominatur.*

*3 Conticinium, cum omnia conticeſcunt, id eſt, ſilent.*

*4 Intempeſtum, media nox, cum non eſt tempus operandi.*

*5 Gallicinium cum galli cantant.*

*6 Matutinũ, cũ mane aurora aduentat.*

*7 Diluculum, incipiens diei lux.*

## *DE HEBDOMADA.*

### Cap. XXXIII.

*HEbdomada quarta pars lunaris menſis dicitur Græce verò à Septenario numero. ἑπτὰ enim dicitur ſeptẽ. Latinè autẽ dicitur Septimana, quaſi 7. manes, id eſt, dies.* *Septimana.*

*Hebdomada Diuina* Hæc habet ſeptem ſpecies.

Prima eſt hebdomada Diuina, in qua Deus ſex diebus cuncta condidit & in ſeptimo requieuit.

Secunda eſt, in qua hic mūdus voluitur, in qua nos exēplo Dei ſex diebus operamur.

Tertia eſt ſeptē hebdomadæ in ſimul, priuſquam Pentecoſte celebratur. In quo lex Iudæis, Spiritus Sanctus Chriſtianis datur.

Quarta eſt Septem menſium. per quos tres feſtiuitates tabernaculorum ſeruabantur.

Quinta eſt ſeptem annorum per quos annus remiſſionis agebatur, in quo populus ab opere ceſſare iubebatur.

Sexta à ſepties ſeptē annorum, poſt quos Iubilæus annus feriabatur.

Septima eſt ſeptuagies ſepties annorum, poſt quos Chriſtus naſci à Daniele, imò ab Angelo promittebatur.

## DE MENSIBVS. Cap. XXXIIII.

*Menſis vnde dictus.* MEnſis eſt duodecima pars anni, Dicitur autem à mēſura, vel à Mene, q eſt luna.

*Menſis lunaris.* Lunaris autem menſis viginti nouem diebus, & duodecim horis impletur.

Sola

*Solaris verò triginta diebus, ac decem ſemis horis. Lunaris mẽſis eſt à noua luna vſque ad nouam. Luna autem peruolat Zodiacum viginti nouem diebus, & duodecim horis: bis duodecim ſunt viginti quatuor, quod eſt integer dies. Hic quia non poteſt diuidi, vni menſi aſcribitur. Inde eſt, quod vnus menſis habet triceſimam, alter viceſimam nonam lunam.* *Solaris menſis.*

*Solaris menſis eſt vnius ſigni progreſſio. Sol in vnoquoq; ſigno moratur triginta diebus & dimidio. Quia dimidius in duobus ſignis efficit integrum diem. Hic quia non poteſt in duos partiri, vni aſcribitur menſi, & ideò habet vnus menſis triginta vnum diem, alter triginta.*

## *DE NOMINIBVS MENSIVM.* Cap. XXXV.

*HEbræi auctore Moyſe ſic menſes nominant, incipientes ab Aprili, in quo Paſcha celebrant.*

| | |
|---|---|
| Niſan. | *Aprilis.* |
| Iiar. | *Maius.* |
| Sinan. | *Iunius.* |
| Thamus. | *Iulius.* |

| | |
|---|---|
| Ab. | *Auguſtus.* |
| Elul. | *September.* |
| Thirſi. | *October.* |
| Marheſuan. | *Nouember.* |
| Caſleu. | *December.* |
| Tebet. | *Iannuarius.* |
| Sebat. | *Februarius.* |
| Adar. | *Martius.* |

*AEgyptij verò authore Abraam menſes à Septembri computant. Sigꝫ eos vocant.*

| | |
|---|---|
| Θώθ | *September.* |
| Φαωφί | *October.* |
| ἀθύρ | *Nouember,* |
| Χοιάκ | *December.* |
| Τυβί | *Iannuarius.* |
| Μεχείρ | *Februarius.* |
| Φαμενώθ | *Martius.* |
| Φαρμȣθί | *Aprilis.* |
| Παχώμ | *Maius.* |
| Παωί | *Iunius.* |
| Επιφί | *Iulius.* |
| Μεσορί | *Auguſtus:* |

*Græci autem Phoroneo authore à Decembri*

*menſes*

*menſes inchoant, quos ſic appellant.*

| | |
|---|---|
| απιλλαῖος | *December.* |
| Αυδωναῖος | *Iannuarius.* |
| Περίτιος | *Februarius.* |
| Δύστρος | *Martius.* |
| Ξανθικὸς | *Aprilis.* |
| Αρτεμίσιος | *Maius.* |
| Δεύσιος & Δαίσιος | *Iunius.* |
| Πάνεμος | *Iulius.* |
| Λώος | *Auguſtus.* |
| Τορπιαῖος | *September.* |
| Υπερβερεταῖος | *October.* |
| Δῖος | *Nouember.* |

## *DE MENSIBVS ROMAnorum.*

### Cap. XXXVI.

*ROmulus Romanis decem menſes ordinauit, quorum primum Martium à Marte, qui in hoc menſe in Phrygia natus eſt, nominauit, cuius ſe filium falsò prædicauit. Decimum verò Decembrem appellauit.*

*Numa verò Pompilius duos: Iannuariū videlicet & Februarium adiecit.*

*Sunt autem menſes Romanorum, ab ido-*

*lis, à Regibus, à numeris dicti.*

## *DE IANNVARIO* Cap. XXXVII.

*Iannuarius vnde dicatur.* *PRimus Iannuarius dicitur, ab idolo Iano, Deo principij, eò quod hic menſis eſt principium anni, Dicitur: & à Ianna, eò quod per eum intret annus.*

## *DE FEBRVARIO* Cap XXXVIII.

*Februarius vnde dictus.* *SEcundus Februarius, à Februo, id eſt, ab idolo Plutone deo infernali, cui hoc menſe ſacrificabant, dum ciuitatem in eius honorem luminibus luſtrabant. Dicitur & à febre, id eſt, frigore, quia frigidum eſt illud tempus.*

## *DE MARTIO.* Cap. XXXIX.

*Martius vnde dictus.* *TErtius Martius à Marte idolo Deo belli, patre Romuli, authoris Romanæ gentis, cui Marti milites hoc menſe ſacrificabant. Dicitur etiam à maribus, eò quod cuncta animantia hunc mares deſyderent.*

DE

## DE APRILI.
### Cap. XL.

QVartus Aprilis, ab Aphrodiſi vel Afrili, id eſt, Venere idolo Dea amoris, cui conſecratus erat hic menſis. Dicitur etiam quaſi aperilis, eo quod aperiat terram in flores. Aprilis vnde dictus.

## DE MAIO.
### Cap XLI.

QVintus Maius à Maia, & Ioue, quaſi à maieſtate. ſiue à Maia matre Mercurij, cui mercatores hoc menſe ſacrificabant. Dicitur & à maioribus ſcilicet principibus Romanorum: qui hoc menſe Ioui immolabant. Maius vnde dictus.

## DE IVNIO.
### Cap. XLII.

SExtus Iunius à Iunone Dea regni dictus, cui erat conſecratus. Dicitur à Iunioribus, qui armis Romam defendebant, & regni faſtigium à Iunone affectabant. Vnde Iunius dictus.

## DE IVLIO.
### Cap. XLIII.

SEptimus Iulius, à Iulio Cæſare, qui in hoc Iulius vnde dictus.

menſe Imperator creatus eſt, & in hoc in Deum eſt relatus. Hic prius Quintilis dicebatur, eò quod quintus eſſet à Martio, qui primus erat inſtitutus à Romulo.

Quintilis.

## DE AVGVSTO.
### Cap. XLIIII.

Auguſtus vnde dictus.

OCtauus Auguſtus, ab Auguſto Cæſare, qui in hoc menſe victor extitit, & Romanum Imperium adauxit. Ideoq; diuinitatem promeruit. Hic prius Sextilis eſt dictus, eò quod à primo Martio eſſet ſextus.

Sextilis

## DE SEPTEMBRI.
### Cap. XLV.

Septēber vnde dictus.

NOnus September, quaſi ſeptimus ymber.

## DE OCTOBRI.
### Cap. XLVI.

DEcimus October, quaſi octauus ymber.

## DE NOVEMBRI.
### Cap. XLVII.

VNdecimus Nouēber, quaſi nonus ymber.

## DE DECEMBRI.
### Cap. XLVIII.

DVodecimus Decēber, quaſi decimus ymber

ber. Sunt enim hi menſes pluuiales, & ideò à numero, & ymbribus nomen habent.

## DE KALENDIS.
### Cap. XLIX.

KAlendæ à verbo καλέω, quod eſt conuoco dicuntur, Pontifex namque nouam lunam regi nunciare debuit, poſt cuius ſacrificium Kalo quinquies, vel ſexies clamauit. Per hocque ſignum populum in curiam, ob hoc Calabriam dictam, ad ſacrificium vocauit. Et ab hoc verbo καλέω primam diem menſis Kalendas vocare placuit.

Calendæ vnde dictæ.

Calabria idem quod curia.

## DE NONIS.
### Cap. L.

INde per nouem dies vulgus de rure vocatus in vrbem conuenit, & ibi feriarum ſeruandarum ſcita à rege, vel pontifice, accepit, & inde Nonæ dicuntur. Dicuntur & à nundinis, & mercimonijs, quæ vel in vrbē deferebant, vel ibidem emebant.

Nonæ vnde dictæ.

## DE IDIBVS.
### Cap. LI.

IDus dicūtur dies, qui menſes diuidunt, ab Iduare, quod eſt diuidere, Dicuntur etiam

Idus vnde dictæ.

ab Idæa, quod eſt ſpecies, quia Luna plenam ſui ſpeciem in medio menſe monſtrat.

Hebræi & AEgyptij, & Græci nec calendas nec Nonas, nec Idus obſeruant. Sed tantum dies à noua luna, ad nouam computant.

## DE VICISSITVDINIBVS Anni. Cap. LII.

VIciſsitudo in quatuor anni tẽpora diuiditur, & vnumquodq́; tribus menſibus diſtinguitur. Dicta autem viciſsitudo, quia vices mutat in anno. videlicet in Ver, AEſtatem, Authumnum, & Hyemem.

## DE VERE. Cap. LIII.

Ver vnde dicatur.

VEr eſt quarta pars anni, conſtans tribus menſibus, dicitur à vernando: quia tũc prata virent, ſyluæ frondent. Hoc eſt humidum, & calidum. Et in hoc fit æquinoctium.

## DE AESTATE. Cap. LIIII.

AEſtas vnde dicatur

Meſsis.

AEſtas eſt quarta pars anni, conſtans tribus mẽſibus, & dicitur ab æſtu, id eſt, calore. Hæc eſt calida, & ſicca. Hæc & Meſſis vocatur & in hac ſolſtitium celebratur.

DE

## DE AVTHVMNO.

### Cap. LV.

AVthumnus eſt quarta pars anni, tribus menſibus conſtans. Et dicitur ab Autumo, id eſt colligo, ſcilicet fructus terræ. Hic eſt ſiccus & frigidus. Hic etiam vindemia nominatur, & in hoc æquinoctium libræ æquatur. *Autumnus vnde dicatur.* *Vindemia*

## DE HYEME.

### Cap. LVI.

HYems quarta pars anni, tribus menſibus perficitur, & à rigore dicitur. Eſt enim frigida, & humida, & in hac agitur ſolſtitialis dies. *Hyems à rigore dicitur.*

## DE INAEQVALITATE temporis.

### Cap. LVII.

HAec autem viciſſitudo in noſtris tantum partibus agitur. In India verò, vbi ſunt alij ortus ſyderum, ſunt binæ in anno æſtates, binæ meſſes. In medio hyems placida. In AEgypto quoque natura hyemis media hyeme campus herbis, floribus, ſylua frondibus veſtitur, quandoque arbor pomis oneratur.

## *DE ELEMENTIS.*

### Cap. LVIII.

*QVatuor quoq; Elemēta qualitatibus quatuor temporum connectuntur: Terra namq; ſicca, & frigida Autumno, Aqua frigida, & humida Hiemi, Aër humidus, & calidus, veri. Ignis calidus, & ſiccus AEſtati colligatur.*

## *DE HOMINE MYCROcoſmo.*

### Cap. LIX.

*IIſdem qualitatibus eſt humanum corpus temperatum, vnde & Mycrocoſmus, id eſt, minor mundus appellatur. Sanguis namq; qui vere creſcit, eſt humidus, & calidus, & hic viget in infantibus. Cholera rubea creſcēs in æſtate, eſt calida, & ſicca, & hæc abūdat in iuuenibus. Melancholia à cholera nigra creſcens authumno in prouectioribus Phlegmata, quæ hyeme dominantur in ſenibus.*

*Sanguinei* *In quibus ſanguis pollet ſunt hilares, miſericordes, ridentes, loquaces.*

*Cholerici.* *In quibus cholera rubea ſunt macilenti, voraces, veloces, audaces, iracundi, agiles.*

*In quibus nigra cholera, ſtabiles, graues, compoſiti moribus, & doloſi ſunt.* Melancho lici.

*In quibus phlegmata, tardi, ſomnolenti, obliuioſi ſunt.* Phlegmatici.

## DE ANNO.
### Cap. LX.

*Annus dicitur ab innouando, eò quod cuncta tranſeuntia innouat.* Annus vnde dictus.

*Dicitur & annus, quaſi annulus, eò quod in ſe reuoluitur, vt circulus.*

*Annus autem multis modis accipitur.*

## DE ANNO LVNARI.
### Cap. LXI.

*Lunaris annus quinqueuarie dicitur.*

*Primus Lunaris annus eſt, cum luna omnia ſigna Zodiaci peruolat, qui viginti ſeptem diebus & octo horis conſtat.*

*Secundus, duobus diebus & quatuor horis prolixior, poſtquam luna à ſole reaccenditur, qui propriè menſis nominatur.*

*Tertius qui dicitur communis, qui duodecim huiuſmodi mēſibus, in trecentis quinquaginta quatuor diebus expletur.*

*Quartus Emboliſmus, id eſt, Superaugmentum, qui tredecim menſibus in trecen-*

tis, octoginta quatuor diebus cõficitur. Qui vterq; ab Hebræis à Paſchali menſe incipit, ibiq; finitur. A Romanis autem à Ianuarij luna inchoatur, ibiq; terminatur.

Quintus eſt lunaris, ſiue decemnoualis, cum luna poſt nouendecim annos ed eaſdem reuertitur ætates.

## DE SOLARI ANNO. Cap. LXII.

Solaris annus eſt, cum ſol omnia Zodiaci ſigna perluſtrat, qui trecentis ſexagintaquinq; diebus, & ſex horis conſtat.

## DE BISSEXTILI. Cap. LXIII.

Biſſextilis annus eſt, dum quarto anno Biſſextus inſeritur, & vno die longior priori cognoſcitur. Eſt & alius Solaris Annus, cum ſol poſt viginti octo annos circulum concurrentium complet.

## DE MERCVRII ANNO. Cap. LXIIII.

Cum Mercurius, qui trecentis triginta nouem diebus circulum ſuum complet.

## *VENERIS ANNVS.*
### Cap. LXV.

V*Eneris annus trecentis quadraginta octo diebus perſicitur.*

## *MARTIS ANNVS.*
### Cap. LXVI.

M*Artis annus duobus Solaribus conſtat.*

## *IOVIS.*
### Cap. LXVII.

I*ouis annus duodecim annis extat.*

## *SATVRNI.*
### Cap. LXVIII.

S*aturni annus triginta annis completur.*

## *ANNVS MAGNVS.*
### Cap. LXIX.

M*Agnus annus quingentis triginta duobus annis reuoluitur.*

*Extra hos ſunt duo* LEGALES *anni. Vnus qui dicitur Annus Remiſsionis, habens curricula ſeptem annorum, Alter Iubilæus quinquaginta annorum.*

## *DE ANNO CIVILI.*
### Cap. LXX.

A*Nnum Ciuilem, id eſt, Solarem Hebræi*

verno ab æquinoctio: Græci à ſolſtitio, AEgyptij ab Autumno. Romani à Bruma incipiunt. Apud Indos vnus menſis. Apud AEgyptios verò olim erat annus quatuor menſium. Apud Acarnanas, ſex menſium. Apud Lauinios tredecim menſium. Apud quoſdam, vnumquodq; tempus anni, ſcilicet ver & alia pro anno computatur. Vnde & Plato ponit nouem milia annorum. Tullius verò quindecim milia annorum.

*Cur Plato tot milia annorum ponat.*

## DE BISSEXTO.
### Cap. LXXI.

ANnus ſolaris, vt in horoſcopo horologij eſt inueſtigatum, trecentis ſexaginta quinque diebus, & quadrante conficitur. Quadrans autẽ eſt quarta pars diei, ſcilicet ſex horæ. In quatuor autem annis quatuor quadrantes quadraginta quatuor horas cõficiunt, quod eſt integer dies. Hi ergò dies in quarto anno ſexto Calen. Martij Intercalatus, & Biſſextus nominantur. Hunc Iulius Cæſar interpoſuit, & totius computi errorem per hunc correxit. Hunc AEgyptij, & Græci in fine anni ſupponunt. Romani autẽ in Februario, eò quod cæteris breuior eſt, inſer-

*Cur in Februario Intercalaris dies ponatur.*

*inſerunt. Quia olim ibi integer menſis intercalabatur. Ideò verò non ante ſextum calend. Martij, quia ſept. calend: Martij magno tripudio ciuitatem luſtrabant, & nihil eis incipere ante tranſactam feſtiuitatem licebat.*

*Cyclus Biſſextilis quatuor impletur annis.*

*Cyclus Indictionalis ab Octobri incipiens quindecim annis.*

*Cyclus decennoualis, à Paſchali luna, inchoans nouendecim annis.*

*Cyclus ſolaris à Martio inchoans, viginti ſeptem annis.*

*Cyclus magnus, quingentis, triginta duobus annis perficitur.*

## *DE OLYMPIADIBVS.* *Cap.* LXXII.

*OLympias ſunt quatuor anni. Apud Elidem ciuitatem Græciæ eſt inſtitutum, poſt quatuor annos ad Olympium montem conuenire, & ibi palæſtrales ludos agere, & inde dicuntur Olympiades.*

## *DE LVSTRIS.* *Cap.* LXXIII.

*LVſtrum ſunt quinq; anni. Romanis enim*

ab omnibus gentibus ſoluebatur tributum. Quinq; annis æs, Quinq; argẽtum, Quinque aurum. Et ſemper per quinquennium Romam veniebant, & vrbem luſtrabant, & inde vnumquodq; quinquẽniũ Luſtrum dicitur.

## DE INDICTIONIBVS. Cap. LXXIIII.

OMnes autem ſimul indictiones, ab indicendo dicuntur, quia ſemper poſt quindecim annos ad primum cenſum, id eſt, AEs reuertebatur.

## DE AETATE. Cap. LXXV.

AEtas vel generatio, eſt vita uniuſcuiuſque hominis, vel centum anni. Eſt etiam ætas cum nullus ſuperfuerit, qui nunc viuit. Sunt quoq; ſex ætates hominis. Prima, infantia ad ſeptem annos

*Hominis AEtates Sex.*

Secunda pueritia ad quatuordecim annos.

Tertia adoleſcentia, ad viginti, & vnum annum.

Quarta iuuentus, ad quinquageſimum annum.

Quinta

Quinta Senectus, ad ſeptuageſimū annū.

Sexta decrepita, ad centum annos, vel vſq; ad mortem.

Sunt nihilominus ſex ætates mundi.

Prima ab Adam ad Noe. Sex ætates mundi.

Secunda à Noe ad Abraam.

Tertia ab Abraam ad Dauid.

Quarta à Dauid ad tranſmigrationem Babylonis.

Quinta inde ad Chriſtum.

Sexta vſq; in finem mundi.

## DE SECVLO. Cap. LXXVI.

SEculum ſunt mille anni, dicitur autem Seculum, quod ſe ſequitur, in ſeculum ſeculi. Seculum vnde dicatur.

Seculum tempus Græce.

Seculum temporis Legis.

Secula ſeculorum.

Secula tempora Chriſtianorum.

Secula Iudæorum, & Paganorum.

Eſt & ſeculum ſeculi, Regnum cœlorum, quod ſequitur iſtud ſeculum ſicut ſcribitur, Beati qui habitant in domo tua Domine,

*in ſeculum ſeculi.*

## *DE DECENNVOALI Cyclo.*
## *Cap.* LXXVII.

*Decennoualis circulus dicitur, quaſi nouendecim annorum circulus. Per tot enim annos peragit Luna curſum ſuum, nitens contra firmamentum.*

*Diuiditur autem in duo.*

*In duodecim communes. Et in ſeptem Emboliſmales annos.*

*Communes dicuntur, cum duo æquales, ſcilicet duodecim menſiū lunarium à Paſcha ad aliud Paſcha concurrunt.*

*Emboliſmus, qui ſupercreſcēs dicitur, eſt is, qui à Paſcha ad aliud Paſcha, tredecim menſes, id eſt, tredecim nouas lunas habet. Hoc totum ideò fit, quod Paſcha ante æquinoctium, & ante decimam quartam Lunam Aprilis, qui apud Hebræos primus dicitur, agi non licet.*

## *DE OCDOADE.*
## *Cap.* LXXVIII.

*Diuiditur adhuc in duo. In octoadem, & Endecadem. Octoas ſunt octo anni.*

*Endecas*

Endecas vndecim. Duo enim cõmunes ſemper præcedunt Emboliſmum. In octauo autem loco præcedit vnus communis Emboliſmũ. Et hic numerus Ocdoas appellatur. Deinde iterum ſemper duos communes præcedit tertius Emboliſmus. In vndecimo verò loco vnus tantum præcedit Emboliſmus. Et hic numerus Endecas vocatur.

## DE CYCLO SOLARI. Cap. LXXIX.

SOlaris autẽ cyclus viginti octo annis peragitur, propter ſeptem biſſextos. Oportet enim, vt biſſextus ſingulos dies ſeptimanæ tangat, & ſic per eoſdem recurrat. Septies autem quatuor faciunt viginti octo. Biſſextus enim in quarto tantùm anno interponitur.

## DE NVMERO ARTICVlorum. Cap. LXXX.

LVnarem curſum ſic in articulis adiunctis vnguibus computabis. A radice pollicis leuæ manus incipe, & per ſingulos articulos, & vngues numera, & in fine minimi digiti nouendecim annos habebis.

*Solarem ſic autem in articulis vtriuſq; manus abſq; vnguibus computabis. A minimo digito leuæ manus inchoa, & per trãſuerſum in quatuor digitis numera. In quarto ſemper biſſextum nota. In altera manu ſimiliter, & habebis annos viginti quatuor. Deinde in vtroq; pollice binos annos, qui prioribus iuncti, reddunt viginti octo annos.*

*Geminus eſt autem ſolaris curſus. Vnus quo quotidie ab Oriente in Occidentem, firmamentum ſequitur. Alter quo contra firmamentum nitens viginti octo annis graditur.*

## *DE MAGNO ANNO.*
## *Cap.* LXXXI.

HIs *Cyclis duobus conficitur magnus annus. Nam vicies, & octies nonendecim, vel decies, & nouies uiginti octo ſunt quingenti. Triginta verò anni poſt quos omnes Planetæ, & omnes ſtellæ ad primum pũctum, vnde digreſſi ſunt recurrunt, & per eaſdem lineas, vt prius redeunt. Luna namque quodlibet Zodiaci ſignum duobus diebus, & ſex horis, ac beſſe vnius horæ luſtrat*

ſtrat. Omnia ſigna viginti ſeptem diebus, & octo horis peruolat.

## DE CYCLIS.
### Cap. LXXXII.

MErcurius quodque ſignum viginti octo diebus, & ſex horis: Totum Zodiacum verò trecentis, triginta nouem diebus permeat.

Venus verò quodlibet ſignum viginti nouem diebus & quinque horis. Totum ſigniferum trecentis quadraginta octo diebus circumit.

Sol triginta diebus ac decem horis, & ſemiſſe ſingula ſigna luſtrat. Omnem Zodiaci ambitum trecentis ſexaginta quinq; diebus, & ſex horis tranſuolat.

Mars quodq; ſignum ſexaginta diebus & viginti vna horis, Omnia ſigna duobus annis perlabitur.

Iouis ſtella ſingulis ſignis annum vnum immoratur. Omnia verò duodecim annis peruagatur.

Saturnus in vnoquoq; ſigno duos annos & centum octoginta dies, & quindecim horas, id eſt, dimidium annum immoratur.

*Totum autem ſigniferum circulum triginta annis, propter nimiam altitudinem contra cœlum, ſicut alij currens, perlabitur.*

## DE AVTORIBVS CYCLI Cap. LXXXIII.

*CYclum Euſebius Cæſarieſis primus compoſuit. Poſtea Theophilus, Alexandriæ Epiſcopus, rogatu Leonis Papæ lucidius expoſuit. Deinde Dionyſius Abbas Romæ, vt hodie habetur, ſcripto protulit.*

## DE AEQVINOCTIO ET Solſtitio. Cap. LXXXIIII.

*AEquinoctia, & ſolſtitia faciunt quatuor Zodiaci ſigna, in modum crucis æquali ſpatio locata. Nam ſignum Arietis, in quo ſol eſt collocatus, in oriente eſt poſitum, quod facit vernale æquinoctium. Libra, in qua luna eſt condita, eſt in occidente, huic oppoſita, & facit Autumnale æquinoctium. Cancer autem verſus Aquilonem tenet cœlum, vbi eſt altiſſimum, & facit Aeſtiuale ſolſtitiũ. Capricornus verò verſus Auſtrum premit cælum, vbi eſt humilimum, & facit hyemale ſolſtitium.*

*AEquinoctium dicitur, ab æquo, & nocte: Græce verò Iſemeria, ab æquo, & die; quaſi æquidies.*

*Vernale æquinoctium nō octauo, ſed duodecimo Kalend. Aprilis habendum lex, & Euangelium clamāt, & horologij inſpectio, manifeſtè probat. Secundum legem enim nō licuit Paſcha ante æquinoctium celebrare. Qui autem Euangelium diligenter legerit, Dominū non octauo ſed decimo Calē. April. paſſum videbit. Si ergo octauo calen. April. eſt æquinoctium, tunc Dominus contra legem Paſcha ante æquinoctium celebrauit, qui non ſoluere legem, ſed implere venit. Sed & Iudæi contra patrium morem geſſerunt, qui Paſcha in incōueniēti termino egerunt. Veruntamen cum horum neutrum fuerit, tranſacto duodecimo Calen. April. æquinoctio, Dominus ſolito more Paſcha cū Iudæis vndecimo calen. Aprilis celebrauit Paſchali die, quod erat decimo calen. ſuo ſanguine nos redemit. Octauo Calen. reſurrexit.*

*Chriſtus decimo diē calen. April. paſſus eſt.*

*Autumnale quoq; æquinoctium non octauo, ſed duodecimo calē. Octob. habendum, demonſtrat horologium.*

*Solſtitium ideò dicitur, quod ſol ſtet, ſcili-*

*cet quod altius cœlum ſcandere non valeat. Sed retro gradum flectat.*

*AEſtiuale Solſtitium, non octauo ſed duodecimo Calend. Iulij horoſcopus horologij clamat, habendum, quod noctem breuiſſimam, diem facit longiſſimum, cum ſol ſcandit Cancri ſignum.*

*Hyemale quoq; Solſtitium non octauo, ſed duodecimo calen. Decembris habendum, eadem ratione probatur. Cum ſol in Capricorno poſitus breuiſſimum diem, longiſſimam noctem facere non ignoratur.*

## *DE SALTV LVNAE.* Cap. LXXXV.

*LVna à ſole recedens poſt viginti nouem dies & horas duodecim eum iterum conſequitur: ſed hora duodecima nondum peracta, à ſole reaccenditur. Reſtant enim ex hora per ſingulos menſes quatuor momenta, & vnica vnius momenti, & vnus atomus. Hæc per ſingulos annos augmentata, poſt nouendecim annos integrum diem perficiunt. Qui dies numero Lunæ ſubtrahitur, dum prima pro triginta computatur. Iſq; ſaltus lunæ nominatur. Ideò autem in deci-*

mo nouo anno, & in Iulio menſe ſit lunæ ſaltus, quia & hoc fecit mater Aſtronomiæ AEgyptus. AEgyptus Aſtronomiæ mater

## DE MINVTIS. Cap. LXXXVI.

QVia hic ſæpius minutiæ ponuntur, quæ forſitan à pleriſq; minus ſciuntur: Sciendum, quod Vncia eſt duodecima pars cuiuſque rei in duo diuiſæ: Biſſæ duæ partes alicuius rei in tria partitæ tertia ſublata. Quælibet autem pars illarũ dicitur triens rei in quatuor partes diuiſæ. Quarta pars dicitur, Quadrans. Reliquæ tres, Dodrans. Vncia quid.

## DE REGVLARIBVS FEriarum. Cap. LXXXVII.

REgulares feriarum, & concurrentes, à Martio ſumunt initium, à quo olim Romani habuerunt anni principium. A Romanis enim ſunt inuẽtæ. Regulares inde dicũtur, quod calculatores regãt. Concurrentes verò inde, quod Regularibus concurrant. Regulares habent tale exordium. Solaris annus 365. diebus peragitur. Sol autem per ſingula duodecim ſigna triginta diebus immoratur. Duodecies igitur triginta vel tricies Regulares vnde dicãtur.

*duodecim, ſunt trecenta ſexaginta. Remanent itaq; quinq;. Hi ſunt regulares Martij. In cæteris menſibus ſic oriũtur. Præcedentis menſis dies cum regularibus in ſeptem partes æquas partire, quod remanet ſequenti menſi, pro Regularibus. Verbi gratia: Martius habet triginta vnum & quinq; Regulares, quod ſunt ſepties quinq;, & remanet vnus. Hic erit Regularis Aprilis. Sic in cæteris. Aliter. Quota feria primo anno fuit in Calendis menſiũ, tot erunt Regulares menſium. Verbi gratia: in calendis Martijs ſunt quinq;. Quinq; ergo ſunt regulares Cal. Apri. vna feria, & vnus Regularis. Sic in cæteris.*

## *DE CONCVRRENTIBVS.* Cap. LXXXVIII.

*Concurrentes autem habent hoc exordium. Solaris annus habet Ebdomadas quinquaginta, & duas, & vnum diem. Hic vnus erit primo anno ſolaris Cycli concurrẽs, quia cõcurrit regulariter ad inueniendam feriam primam in calẽdis menſium. Singulis annis adde vnum, vſq; ad ſeptimum. Quarto anno Biſſextus, pro concurrentibus accipitur. Illo vno anno vnus concur*

cur

*currens tranſilitur, Biſſextili anno vtere in Ianuario, & Februario Biſſexto pro cõcurrente. In reliquis menſibus concurrente.*

*Primus annus in creatione mundi fuit ſine concurrentibus. Quarta feria fuit in nono Calen. Aprilis, vel ſexta Calen. Mart. Tot erunt concurrentes illo anno. Concurrentes iunge regularibus, ſi infra ſeptimam fuerit, talis erit feria in Calendis cuiuſque menſis. Si ſeptimam exceſſerit, Septẽ ſublatis, quod remanet, erit feria. Hi enim regulares atq; concurrentes Septenarium numerum non excedunt.*

## *DE REGVLARIBVS ET Epactis.*

### *Cap.* LXXXIX.

*REgulares lunæ, & Epactæ, à Septembri ſumunt initium, quem Aegyptÿ ponunt anni principium. Ab ipſis enim ſunt inuenti. Hi regulares ſimile habent exordium, vt ſupperiores. Et ideò September habet quinq;.*

*In reliquis mẽſibus ſic inueniuntur: Præcedentis menſis dies cum regulari ſume. Si trigeſimam Lunam habet, viginti quinq;*

*tolle, quod remanet, tribue ſequenti pro Regulari.*

*Aliter.*

*Quarta luna in primo anno in Calend. fuit. Vndecim ſublatis, quot remanent, tot erũt Regulares lunæ. Verbi gratia. In Calen. Septemb. luna erit decima ſexta, vndecim tolle & remanent quinque. Quinq; erit Regularis. Sic in cæteris.*

Epactæ vnde dicãtur

*Epactæ autem ſic oriuntur. Annus ſolaris habet dies trecentos ſexaginta quinque. Lunaris verò trecentos, quinquaginta quatuor. Qui numerus ab alio ſuperatur vndecim diebus. Hi vndecim Epactæ, id eſt, adiectiones nominãtur, quia ſingulis annis Regularibus menſium ad inueniendam lunam adijciuntur. Singulis ergo annis adijce vndecim. Si infra triginta fuerit numerus, ipſæ erunt Epactæ præſentis anni. Si vltra, tolle triginta, quot remanent: totta erit luna. Nonodecimo anno ſcilicet octodecim Epactæ. His vndecim dies ſaltus lunæ addãtur, & erunt triginta Epactæ primo anno. Primus ergo annus decemnoualis habet triginta Epactas. Sed ideò dicitur, quod nullas habeat, quia in ſingulis menſibus triginta*

ginta reÿciuntur, & luna ſolis Regularibus inuenitur Quota luna fuerit in vndecima Calend. Aprilis. Tales erunt Epactæ illius.

## QVOT HORIS LVNA luceat.

### Cap. XC.

LVna prima lucet quatuor punctis. Secunda octo. Tertia duodecim, & ſic vſque ad plenilunium quotidie quatuor puncta adÿciuntur. In decreſcendo ſimiliter quotidie auferuntur. In plenilunio tota nocte lucet: cum eſt trigeſima, nihil.

In Lunari Computo, quinque puncta faciunt vnam horam. De vnaquaque die ergo quatuor punctis acceptis, & quinque vnicuique horæ diſtributis, quot horis luna in nocte luceat citius videbis.

Notandum quod ligna in decreſcente luna, vel poſt Iulium, & Auguſtum mēſem præciſa, à vermibus, & carie manebunt illæſa.

Ligna quādo præcidenda

## QVOT PARTIBVS LVNA à Sole diſtet.

### Cap. XCI.

AEtatem quamcunq; Lunæ per quatuor multiplica, hũcq; numerum ter ducito, & quot in ſumma reperies, tot partibus Zodiaci lunam à ſole noueris, & ſolem poſt totidem dies ad eundem locum venturum.

## IN QVO SIGNO LVNA SIT.

### Cap. XCII.

Sol cuilibet ſigno triginta diebus immoratur. Vide ergo in quo ſigno ſit, & quot dies adhuc in eo moratus erit, tot ex prædicta sũma eidem ſigno tribue. Reliquis qui de eadẽ ſumma ſuperfuerint, ſequentibus ſignis, per triginta diſperties, & cui ſigno triginta defuerit, in eo lunam eſſe noueris.

## DE ANNIS DOMINI.

### Cap. XCIII.

AD inueniendum Domini annum, Ordines Indictionum ab incarnatione eius, qui ſunt ſeptuaginta, per quindecim multiplica, addens duodecim. Quia tres indictiones annum Natiuitatis Chriſti præceſſerãt, &

Nota quo anno Dominica in.

& ſiunt Mille viginti. His adde Indictionem præſentis anni, & habebis annum Domini.

carnationis author hunc libellũ ſcripſerit.

## DE INDICTIONE INVENIENDA.

### Cap. XCIIII.

AD Indictionem inueniendam, tranſactos annos Domini, cum tribus indictionibus, qui eius natiuitatem præceſſerāt. per quindecim partire, quot remanſerint, tota eſt indictio. Si nihil remanſerit, quinta decima erit.

## DE EPACTIS INVENIENDIS. Cap. XCV.

AD inueniendas Epactas, annos Domini per nouendecim diuide, quod remanſerit per vndecim multiplica. Si infra triginta fuerit, Epacta illius anni erit. Si vltra, triginta ſublatis, quot remanent, pro Epactis habebis. Quando natus eſt Dominus vndecim Epactæ erant.

## SOLARIS ANNVS QVOMODO inueniatur.

### Cap. XCVI.

AD inueniendum Solarem Annum. An-

nis Domini nouē adde, quia tot anni ſolaris Cycli eius natiuitatem præceſſerant. Hanc ſummam per viginti octo diuide, quot remanent: totus eſt. Si nihil remanet viceſimus octauus eſt.

## CONCVRRENTES QVOmodo inueniantur. Cap. XCVII.

AD inueniendos Concurrentes Annos Domini, ſume & propter numerum Biſſexti quartam partem totius numeri eis adÿce. Quatuor Regulares adde, quia tot concurrentes Chriſti natiuitatem præceßerant. Hunc totum numerum diuide per ſeptem, & quot ſuperſunt, illius anni concurrenres erunt. Si nihil, ſeptem exiſtunt.

## DE INVENIENDO BISSEXTO. Cap. XCVIII.

AD inueniendum Biſſextum. Annos Domini per quatuor diuide. Quot remanſerint, totus annus à Biſſexto eſt. Si nihil remanſerit: Biſſextus erit.

Similiter Solarem Cyclum ſublato vno, per quatuor diuide, qui remanet, annus à Biſſexto eſt.

DE

## DE INVENIENDO CYclo Lunæ.
## Cap. XCIX.

AD inueniendum lunæ Cyclum, de annis Domini duobus ſublatis, qui eo nato de eodem Cyclo reſtabant, ſeptendecim enim præceſſerant, Cæteros per nouendecim diuide. Qui ſuperfuerit, Anni lunaris Cyclus erit. Si nihil remanſerit, decimus nonus erit. Hic eſt propriè Romanorum, ſicut decemnoualis Hebræorum. Et ſicut per iſtum Paſcha, Ita per illum lunaris aſcenſio cognoſcitur.

AD inueniendum Decennoualis Cycli Annum, Annis Domini ſemper vnum adijce, quia eius ſecundo anno natus eſt Dominus: ac per nouendecim diuide. Qui remanſerit inſtans annus erit. Si nihil remanſerit, Decennoualis erit.

## DE ANNIS ET CYCLIS.
## Cap. C.

ANnos ab initio mũdi muta in decimum quintum Calen. Aprilis, quia ibi eſt primus dies ſeculi: An. Domini muta in octauũ Qui fuit primus dies ſeculi.

*Calend. Ianua. Cyclum lunarem in Calen. Ianua. Cyclum Solarem ibidem. Cyclum decennoualem in noua luna Aprilis. Concurrentes in Calend. Martij. Epactas in Calend. Septemb. Indictiones in Octobris Calē.*

## *DE CLAVIBVS TERMINOrum inueniendis.*

### *Cap.* CI.

AD *Claues terminorum inueniendos. Sume annos Decennoualis Cycli, & ſeptem dies Ebdomadæ, qui ſimul iuncti fiunt viginti ſex, & hæc eſt prima clauis. Secundo verò anno iunge decennoualem cum prima claue fiuntq́ quadraginta quinq́, Tolle triginta remanēt quindecim: & hæc eſt Secunda clauis. Sic fac per ſingulos annos vſq́ ad decim. nonum annum. In anno decimo nono iunge octodecim propter ſaltum Lunæ, & ſic inuenies Primam. Hic autem memor eſto, vbi cum numerus ſupradictus quadraginta exceſſerit triceſimum, rurſus remanens eſt clauis.*

## *DE TERMINO PASCHALI.*

### *Cap.* CII.

T*Erminus Paſchalis eſt decima quarta luna*

*luna Aprilis, & Paſcha Hebræorũ. Ergo poſt vernale AEquinoctium vbicunq; decima quarta luna occurrerit: Ibi abſq; dubio terminus Paſchalis erit, & inſequenti Dominica noſtrum Paſcha conſtabit. Si terminus in Dominico die obuenerit, inſequenti Dominica Paſcha celebrandũ erit. Hunc terminum per verſus Nonarum Aprilis, & ferias facilimè reperire poteris.*

*Aliter.*

*Termini à duodecimo Calend. April. vſque ad tertium decimum Calend. Maÿ ſunt requirendi. Quos & ſic inuenire poteris. Terminum præcedentis anni pone in primo articulo pollicis leuæ manus, & per ſingulos articulos, vnguesq; digitorum eiuſdẽ manus, dies terminorum computa. Qui terminus ad primum articulum occurrerit: Terminus erit.*

*Aliter.*

*A termino cuiuſq; anni inchoa, & retro vſq; ad duodecimam literam calcula, & habebis terminum ſequentis anni, ſi communis eſt annus. Si autem Emboliſmalis eſt in anno computa vſq; ad viceſimam literam, & habebis terminum. Verbi gratia. A*

*termino primi anni, qui eſt Non. April. retrò numera, & in duodecima litera, quæ eſt octaua Calend. April terminum ſecundi anni habebis, qui eſt communis. Ab hac vſque in vigeſimam literam, in quam incidit Idus Aprilis computa, & terminum tertij anni, qui eſt Emboliſmalis, habebis.*

## *Aliter.*

*A radice pollicis inchoa, & per ſingulos articulos trium digitorum retro calcula, & in quarto digito habebis terminum. Verbi gratia. Primo anno die nonarum April. Secundo Non. Tertio Non. Quarto Non. Primo Calend. April. Secundo Calend. Tertio Calend. Quarto Calend. Quinto Calend. Sexto Calend. Septimo Calend. Octauo Calend. occurrit Terminus.*

*Regulares eiuſdem Termini ſic inuenies. Calend. April. pro prima feria pones, & ſic vſque ad terminum eiuſdem anni dies numera. Quota feria erit Terminus, tot erunt Rgeulares. Verbi gratia: Calend. April. da Dominicam & Non. April obuenient quinq; feriæ. Quinq; ergo erit Regularis.*

*Sic*

*Sic in cæteris. Porrò ſi terminus eſt ante feriam, retro calcula. Si poſt Calend. in antiphona computa retro hoc modo. Dominica, Sabbathũ, Feria Sexta, & ſic per ordinem. In antiphona autem hoc modo. Dominica, Feria Secunda & tertia. Et ſic per ordinem.*

## *DE TERMINO SEPTVAgeſimæ.*

### *Cap.* CIII.

*POſt ſeptimum Idus Ianuarÿ, vbicunque decima Luna occurrerit, Terminus ſeptuageſimæ erit. Quem ſic reperies. Quot diebus terminus Paſchalis à Calendis Aprilis, ſiue retro ſiue in ante abeſt. Tot diebus ſeptuageſimæ terminus à quinto Calend. Febr. vel in ante, vel retro erit.*

## *DE QVADRAGESIMALI.*

### *Cap.* CIIII.

*POſt octauum Idus Martÿ, vbi luna ſecunda obuenerit. Terminus Quadrageſimæ erit, quem à duodecimo Calend. Mart. ad inſtar Paſchalis diſtare inuenies. Biſſextili anno ſeptuageſimæ à quarto Calend. Februa. Quadrageſ. ab vndecimo Calend.*

*Martij require.*

*Septuageſ. quidem omni Biſſextili anno. Quadrageſ. verò tantùm, cum terminus ante Biſſextilem euenerit.*

## *DE ROGATIONIBVS.*
## Cap. CV.

T*Erminus Rogationum eſt viceſima luna Maij Hunc require à Nonis Maij, vt ſupra.*

## *PENTECOSTE.*
## Cap. CVI.

T*Erminus Pentecoſtes eſt quarta luna Iunij. Hunc verò à decima tertia Calend. require per omnia, vt ſupra. Ad inueniendam feriam, Terminorum. Concurrentes præſentis anni Regularibus iunge, ſi infra Septimum fuerit numerus, talis erit feria. Si vltra, ſublatis ſeptem, quod remanſerit, Feria.*

## *DE ADVENTV.*
## Cap. CVII.

A *Quinto Calen. Decemb. vſq; ad tertium Nonar. eiuſdem, vbicunq; Dominica occurrerit, Aduentus Domini erit.*

## DE EMBOLISMO.
### Cap. CVIII.

PRimus Emboliſmus quarto Non: Decem. Luna prima in ſecundo anno Decẽnoualis Cycli.

Secundus quarto Non: Septemb. in quinto anno.

Tertius ſecundo Non: Martij in octauo anno.

Eodem anno primo Calend. Maij erit luna viceſima ſeptima, & in Calend. Iulij viginti nouem Epactis interuenientibus, niſi ſit Biſſextus.

Quartus Emboliſmus, quarto Non. Ian. in vndecimo anno.

Eodem anno erit luna viceſima octaua, in Calend. Mart. Epactis interuenientibus, niſi ſit Biſſextus

Quintus erit quarto Non. Nouemb. in decimo tertio anno.

Sextus erit quarto Non. Augu. in decimo ſexto anno,

Septimus erit tertio Non. Martij in decimo nono anno.

Eodem anno luna erit viceſima octaua in Calend. Maij & in Calend. Auguſt. con-

tra Epactas. Lunæ ſaltu facto in Iulio. Quod ſi tertio Nō. Martij Emboliſmi lunatio negligitur, in decimo nono anno terminus. Paſchalis decimo quinto Calend. Maij illo anno non erit.

## DE DIEBVS AEGYptiacis.
## Cap. CVIII.

AEgyptij dies vnde dicti.

DIes AEgyptiaci ideo dicuntur, quia ab AEgyptijs ſunt inuenti. Et quia AEgyptus dicitur Tenebræ, ipſi tenebroſi inde nominantur, eò quod incautos ad tenebras mortis perducere affirmantur.

Libri ſecundi de Imagine mundi.

FINIS.

DE

# DE IMAGINE MVNDI.

## LIBER TERTIVS.

### EXHORTATIO.

¶Per deſcriptũ volubile tempus, ſic voluitur volubilis Mundus. Sed nos temporis volubilitatem iam poſtponamus, & ad ſtabilitatẽ AEui mentes intendamus.

*Non arbitror infructuoſum ſeriem temporum huic operi inſerere, quo lector cuncta tranſacti mundi tempora queat cum fructu agnoſcere.*

SATHAEL *primus Archangelus, ſignaculum ſimilitudinis Dei, Cõditus plenus ſapientia, & perfectus decore in delitijs cœleſtis Paradyſi, non plenam* *Sathan quando ſit lapſus.*

*Cauſa lapſus Angelorum.* horam manſit, atque ob ſuperbiam, cum vniuerſis ſibi conſentaneis, æternum exilium incidit.

*Vbi Adam ſit creatus quādo ſit lapſus.* ADAM primus homo ad imaginem Dei in Hebron formatus, in Paradyſo cum Eua ſeptem horis commoratus, ob mandati transgreſsionem, huius mundi exilium ſubijt. In quo triginta filios, & totidem filias, abſq; Abel & Cain genuit.

Ipſe verò poſt nongentos, & triginta annos in Ieruſalē obijt. *Adam vbi ſit mortuus.* In loco Caluariæ ſepultus aliquandiu requieuit. Deinde in Hebron translatus in terram, de qua ſumtus eſt, redijt. *Sepulchrū Adæ.*

ABEL filius Adæ triginta annorum à fratre Cain apud Damaſcum occiditur. *Abel quoto ætatis anno, & vbi occiſus*

SETH frater Abelis vixit nongentos, & duodecim annos.

MALALEEL vixit octingentos, nonaginta quinq; annos.

IARETH vixit nongentos ſexaginta duos annos.

ENOCH vixit trecentos ſexaginta quinque annos, & tranſlatus eſt in Paradyſum.

*Litera inventa & libri ſcripti cepti.* Hic litteras reperit, & quoſdam libros

com-

conſcripſit. Quo tempore Adã ſit mortuus.

Huius tempore mortuus eſt Adam.

MATHVSALA vixit annos nongentos, ſexaginta nouem.

LAMECH vixit annos ſeptingentos, ſeptuaginta ſeptem. Gygantũ ortus & ſtatura.

Gigantes orti ſunt, quorum ſtatura erat quindecim, vel triginta cubitorum

## REGNVM CAIN.

CAIN primus condidit ciuitatem Enoch, in qua ipſe primus regnauit. Prima ciuitas.

Poſt hunc Enoch filius eius ſucceſsit.

Huic ſucceſsit GAIDAT filius illius.

At illi MAEVIA filia eius.

Huic MATVSAHEL filius ipſius,

Illi verò ſucceſsit LAMECH. Cain occiſus & à quo.

Hic in diluuio perijt. Hic & Cain occidit.

IOBEL filius Lamech reperit vſum tabernaculorum: Cuius frater IOBAL inuenit Muſicam. Vſus tabernaculorũ inuentus: Muſica inuenta:

Illorum frater TVBAL inuenit artem fabrilem ferri, & æris. Ars fabrilis inuẽta:

Soror eorum NOEMA reperit artem variæ texturæ: Texturæ ars inuenta:

## DECIMVS AB ADAM.

Diluuium

Iris.

Vſus carnium hominibus conceſſus.

NOHE vixit nongentos quinquaginta annos, Huius tempore extitit Diluuium. Huius etiam tempore primitus viſa eſt Iris, & pluuia. Et hominibus vſus carnium conceſſus.

## PRIMA AETAS.

HAEc prima ætas continet annos iuxta Hebraicam veritatem Mille Sexcētos, Quadraginta duos.

Iuxta ſeptuaginta interpretes, bis mille ducentos Sexaginta duos.

Generationes decem.

## SECVNDA AETAS.

Melchiſedec.

Tres hominum ordines.

SEM filius Nohæ, ipſe eſt idē qui & MELCHISEDEC, vixit ſexcentos & duos annos. Huius tempore diuiſum eſt genus humanum in tria. In liberos, Milites, Seruos: Liberi de Sem, Milites de Iaphet, Serui de Cham.

ARPHAXAD, filius Sem, vixit trecētos, triginta octo annos, ſecundū ſeptuaginta interpretes: quingētos ſexaginta quinq;.

CAI

CAINAN vixit quadringentos triginta octo annos.

SALEM vixit quadringentos triginta tres annos, hic condidit SALEM.

Salem ciuitas.

Ab hoc SAMARITAE & INDI.

Samaritæ Indi.

HEBER à quo Hebræi, vixit quadringentos ſexaginta quatuor annos.

Hebræi,

Huius tempore BABEL conſtruitur.

Turris Babel.

PHALECH vixit ducentos, triginta nouem annos. Huius tẽpore diuiſæ ſunt linguæ in ſeptuaginta duas.

Diuiſio linguarum in 72.

Huius etiam tẽpore Idololatria exorta eſt.

Idololatria orta primum.

REV vixit ducẽtos, triginta nouem annos. Huius tempore regnum Schytarum, & AEgyptiorum exortum eſt.

Regnum Schytarũ & Aegyptiorum.

SERVCH vixit ducentos, triginta annos. Huius tempore regnum Aſſyriorum, & Sycioniorum naſcitur.

Regnum Aſſyriorum.

Regnum Sycioniorum.

NACHOR vixit annos 148.

THARE vixit ducentos quinq; annos.

Babylonia conditur.

Babylonia condita.

Hæc ſecunda ætas cõtinet annos à Diluuio vſq; ad Abraam, iuxta Hebraicam veritatem, ducẽtos nonaginta duos. Generationes decẽ. Iuxta ſeptuaginta interpretes Nõgentos quinquaginta quinq;, vel adiecto Cainã,

*quem ſeptuaginta, & Lucas ponunt, Mille ſeptuaginta duos. Generationes vndecim. Ab Adam vſq; ad Ninum ſunt anni 3184. Qui ab omnibus Hiſtoricis vel omiſſi, vel ignorati ſunt,*

*Sub* SERVCH *ſecunda ætate apud Babel primus regnauit* NEMROTH *Gygas triginta cubitorum, cui ſucceſſit filius eius* ASSVR, *à quo Aſſirij.*

## *REGNVM ASSYRIORVM.*

*Aſſyrij.*

*Huius filius* BELVS *regnauit Annos ſexaginta quinq;.*

*Sacrificia primum homini facta.*

*Belo primum ſacrificia ſunt facta.*

*Huius filius* NINVS *regnauit annos quinquaginta duos.*

*Niniue cõditur.*

*Hic condidit Niniuen.*

*Magia à Zoroaſtre inuenta*

*Primus idololatra*

*Huius tempore inuenta eſt Magica ars à Zoroaſtre rege Bactrianorum, quem idem Ninus bello victum occidit, qui & Syrophanem primum idololatram AEgyptium ſubiecit.*

*Abraam naſcitur.*

*Tempore Nini natus eſt Abraam*

*Sub Abraam poſt Ninum regnauit* SEMIRAMIS *vxor eius quadraginta duos*

*anno*

*annos.* Babylon condita

*Hæc condidit magnam* BABYLONIAM *& ſubiugauit Indiam & AEthiopiam.*

*Huic ſucceſsit filius ipſius* NINIAS.

NINIATI *ſub Iſaac ſucceſsit* ARRIVS, *qui &* ERIOCH.

*Huic ſucceſsit* XERXES.

*Poſt hunc regnauit* BELOCH.

*Deinde* ARMAMITRES.

*Poſt hunc* BAAL, *qui &* BALAEVS.

*Deinde* MAMITOS;

*Exin* SAPORVS.

*Poſt hunc* AGATIDES.

*Sub* CALEB. AMYNTAS.

*Poſt hunc* LAMPERES.

*Poſt illum* OENEVS.

*Dein* EVTROPIS.

*Exin ſub* AZARIA, *qui &* OZIAS.

SARDANAPALVS.

*Sub quo defecit regnum Aſſyriorum, quod ſtetit annis Mille, centum, ſexaginta quatuor.*

*Poſt diuiſionem linguarum ſub, Reu ſurrexit regnum Schytarum ſexaginta annis antequam Aſſyriorum, vbi primus regnauit* TANAVS, *à quo flumen Tanais dicitur.*

## REGNVM AEGYPTIORVM ſub Reu.

*In AEgypto primus Regum* PHARAO, *à quo Pharos ciuitas, & poſteri reges dicti.*

*Hinc* ZOES.

Quando Ioſeph in AEgyptũ venerit.

*Ab hoc decimus ſeptimus* AMASIS, *ſub quo venit Ioſeph in AEgyptum.*

*Poſt hunc regnauit* HEBRON.

*Deinde* AMENOPHIS.

*Exin* MESPRES. *Sub quo moritur Ioſeph.*

Quando Ioſeph mortuus ſit.

*Inde regnauit* NVFFAR.

*Poſt hunc* MVTHVSIS.

*Deinde* THYOMOSIS.

*Item* AMENOPHIS, HORVS & HENCRES, ACHORIS. *Item* CENCRES, *qui ſubmerſus in mari rubro.*

Pharao ſubmerſus in mari rubro.

## REGNVM ARCADVM.

*Apud Sycionios, id eſt, Arcades primus regnauit ſub Seruch:*

AEGIALEVS, *qui &* AEGELASVS.

*Huic ſucceſſit* ARCHAS, *à quo Archadia.*

*Inde* TANTALVS.

*Poſt hunc ſub Abraam* EVROPS, *qui Europã ſubiugauit*

ſubiugauit, vnde & EVROPA dicitur: cuius tempore EFRON, qui & ENAC Gygas EBRON condidit, poſt quam octauo anno condita eſt Tanais in AEgypto à Tanao ſub Iſaac. Tanais Aegyptiaca.

Inde exorti EVROPEI.

EVROPI ſucceſsit TELSION.

Deinde TIRIACVS. cui facta ſunt ſacriſicia.

Poſt hunc LEVCAPPVS.

Inde MESAPPVS, qui & Zephyſus.

Poſt hunc ERATHO.

Inde PTOLOMAEVS.

Exin ORTHOPOLIS.

Poſt hunc ſub Moyſe MARATHOS.

Deinde CORAX.

Deinde HERCVLES

Exin MENALION.

Poſt hunc PARTHENOPEVS.

Poſt illum PHINEVS

Deinde PALLAX.

Exin DODANVS.

Deinde POLYPHIDVS.

Poſt hunc PELASGVS.

Poſt hunc ZEVXIPPVS, quem occidit ALETHES rex Corynthiorum.

*Et tunc conſumtum eſt Regnum Sycinio-rum, quod ſtetit Annis nongentis,*

*Deinde Sacerdotes populum rexerunt.*

## *TERTIA AETAS*

ABRAHAM *duodecimus à Noe.*

ABRAHAM *vixit centum Septuaginta annos.*

*Huic primo repromiſſus eſt Chriſtus, & huic primitus data eſt Circumciſio. Hic inuenit Hebræas literas. Hic etiam docuit Chaldæos Aſtronomiam, Aegyptios Geometriam,*

*Hebrææ literæ à quo inuentæ.*

*Huius tempore quinq; ciuitates, Sodoma & Gomorra cum alijs ſubmerſæ ſunt.*

*ISAAC vixit centum viginti annos.*

*Regnum Argiuorũ*

*Huius tempore ortum eſt regnum Argiuorum.*

*IACOB vixit annos centum quadraginta ſeptem.*

*Diluuium in Achaia*

*Huius tempore fuit Diluuium nouem menſium in Achaia ſub Ogygio rege Thebanorum. in quo Cerambus volaſſe fertur.*

*Minerua.*

*Hoc tempore claruit MINERVA in Africa*

Tem

*Tempore Iacob mortuus eſt Sem qui Melchiſedec.* *Sem moritur.*

*Sexcenteſimo ſecundo anno Memphis in Aegypto conditur.* *Memphis AEgipt. conditur*

*IOSEPH vixit cẽtum & decem annos.*

*Hoc tempore fuit fames ſeptem annis.*

*CAATH filius Leui fratris Ioſeph vixit centum triginta tres annos.*

AMRAM *filius eius vixit centum triginta ſeptem annos.*

*Horum tempore oppreßi filij Iſrael in Aegypto. Et* CECROPS *Athenas condidit.* *Athenæ conditæ.*

MOYSES *filius huius vixit centum viginti annos.*

*Huius tempore percuſſa eſt AEgyptus decem plagis.* *Plagæ AEgypti.*

*Hic eduxit filios Iſrael de AEgypto, & hic primus legem populo conſcripſit.*

*Huius tẽpore extitit Diluuium ſub* DEVCALIONE *in Theſſalia.* *Diluuium ſub Deucalione.*

*Tempore etiã Moyſis* LACEDAEMON *vrbs condita à Cecrope, & templum Delphicum.* *Sparta cõdita. Templum Delphicũ extructum*

## *TEMPORA IVDICVM*

IOSVE, *qui &* IESVS *vixit annos cen-*

*tum & decem.*

*Huius tempore exiccatus eſt Iordanis populo Dei & ſol ſtetit ſpatio duorum dierum.*

CALEB *ſucceßit Ioſuæ, qui in morte Ioſuæ erat centum annorum.*

*Fabularũ Initium.* *Huius tempore fictæ ſunt* FABVLAE.

*Hoc tempore claruit* ORPHEVS *in Muſica in Lesbo.*

*Quando vixerint Saturnus, & Iupiter* *Hoc tempore etiam fuit Saturnus, & Iupiter, ſicut Solinus, & Varro ſcribunt.*

*Sybilla prima Perſica.* *Prima* SYBILLA *Perſica claruit.*

OTTHONIEL *filius Caleb iudicauit populum quadraginta annis.*

*Huius tẽpore condidit Catherinus* THEBAS. AIOTH *iudicauit Iſraël 80 annos.*

## *PRIMVM BELLVM CIVILE.*

*Huius tempore fuit bellum inter populũ Iſraël, & Beniamin propter vxorem Leuitæ apud Gabaam conſtupratam. Et à Iſraël quidem occiſa ſunt quadraginta millia. De Beniamin triginta quinq; & centum viri.*

*Troia conditur.* TROIA *conſtruitur.*

AMPHION *Muſicus claruit.*

SANGAR *Iudaicum populum regit annos*

*annos decem. Hoc tempore ortum eſt regnū Laurentinum.* *Laurentinum Regnum.*

BARACH *cum* DEBORA *iudicat Iſraël quadraginta annos.*

*Huius tempore fuit ſecunda Sybilla Lybica.* *Sybilla ſecunda Lybica.*

PICVS *Rex in Italia.*

GEDEON *Iudicat Iſraël quadraginta annos. Huius tempore erat* HERCVLES. *Hercules.*

ORPHEVS *Muſicus claret.* *Orpheus.*

ABIMELECH *filius Gedeonis regnat ſuper filios Iſrael tribus annis.*

*Hoc tempore extitit* THESEVS. *Theſeus.*

THOLA *iudicat Iſraël annos viginti tres. Huius tempore fuit tertia Sybilla Delphica.* *Sybilla tertia Delphica.*

PRIAMVS *in Troia.*

IAIR *Iudicat Iſrael 22. annos*

*Hoc tempore fuit bellum Thebanum.* *Bellum Thebanū.*

CARMENTIS *Nympha*

IEPHTE *iudicat Iſraël ſex annos.*

*Huius tempore erant Amazones & Theſeus.* *Amazones.*

ABESSAN *Iudicat Iſtaël ſeptem annos.*

*Hoc tempore* BOOTZ *ſumſit* RVTH.

*Hoc etiā tempore claruit Sybilla quarta. Erythræa vel Babylonica.* *Sybilla quarta Erythræa ſiue Babylonica.*

Troia obſi-detur. ACHIALON iudicat Iraël decem annos.
Huius tempore obſeſſa eſt Troia.

Troia capitur. LABDON iudicat Iſraël octo annos.
Huius tempore capta eſt Troia.
Ex parte Græcorum occiſa ſunt 877000.
Ex parte Troianorum 686000.

AEneas in Italia pugnauit cum TVRNO.

Regnum Albanorũ. SAMSON non videns iudicauit viginti annos. Hoc tempore regnum Albanorum ortum eſt.

ASCANIVS Albaniam condidit.

Quinta Sybilla Cumana. HELI Sacerdos iudicat Iſrael quadraginta annos-
Hoc tempore claruit quinta Sybilla Cumæa, ad quam venit AEneas.

Regnum Lacedæmonum. SAMVEL iudicat Iſrael duodecim annos. Huius tempore Oreſtes, & Pilades fuerunt Lacedæmonum regnum tunc oritur.

SAVL Primus Rex Hebræorum regnat viginti annos. Siue, vt Actus Apoſtolorum teſtantur, quadraginta.

Huius tempore occidit Dauid Goliam Gigantem.

Hæc Tertia mundi ætas continet Generationes ab Abraham, vſq; ad Dauid iuxta

vtrã

vtramq; authoritatem, quatuordecim. Annos verò nongentos quadraginta.

A Diluuio vſq; ad Dauid ſunt 2117 anni.

Ab initio mundi vſq; ad Dauid 4124.

## TERTIA AETAS.

### REGNVM IDVMAEOrum.

Tertia ætate primus Rex Idumæorum erat BALAAC filius BEOR.

Poſt quem regnauit IOBAB. qui & IOB.

Deinde HVSAN,

Exin alij quinq; reges.

Deinde duces.

Iob autem erat quintus ab Abraham.

Abraham genuit Iſaac.

Iſaac genuit Eſau qui & Edom, à quo Idumæi. Eſau genuit Zara.

Is genuit Iob ſub Moyſe.

Cuius BALAAC filius SEFER erat rex MOAB & MADIAN, qui conduxit ariolum BALAAM, qui & HELIV in libro Iob legitur.

Iob octoginta nouem annorum tentatus eſt. Poſt plagam Rex factus vixit centum

*tum quadraginta annis.*

## *REGNVM ARGIVORVM.*

*Apud Argos primus ſub Iſaac regnauit* INACHVS *quinquaginta annos.*

*Io leges docet.*

*Cuius filia* IO *à Græcia nauigans in AEthiopiam, veniens in Aegyptum, ibi literas reperit, docuit Leges, Iuſtè imperauit. Vnde Iſis Dea dicta. Eius maritus* OSIRIS *ſub Iacob.*

*Iſis Dea dicta.*

PHORONEVS *ſucceßit Inacho.*

*Huic* APYS, *qui &* EPAPHVS, *qui poſtea in AEgypto regnãs* SERAPIS *dictus eſt.*

*Poſt hunc regnauit* ARGVS *ſub Ioſeph, à quo ciuitas Argos, & à quo Argiui.*

*Argos ciuitas.*

*Deinde* HONOREVS, *qui primus boues ad aratrum iunxit.*

*Aratro quis primus boues iunxerit.*

*Huic ſucceßit* ERIASVS.

*Illi* PHORBALVS *ſub Moyſe.*

*Illi* TOPHAS.

*Huic* IASIVS *frater* DARDANI.

*Illi* STELENEVS.

*Huic* DANAVS *(ſub Adat) qui habuit quinquaginta filias. Frater eius AEgiſtus totidem filios, qui omnes præter vnum à filiabus ſunt interfecti.*

*Ab*

*Ab hoc AEgyſto AEgyptus eſt dicta.* AEgyptus unde dicta

*Poſt* DANAVM *regnauit* ABAS.

*Huic ſucceſsit filius* ACRISIVS.

*Illi* EVRISTEVS.

*Illi EVCHIPPVS.*

*At illi ADRASTVS (ſub Iephte) per quem Theſeus Argos deſtruxit, & ſic regnum Argiuorum defecit.*

*Tertia quoq; ætate ſub Moyſe PROMETHEVS, Rex Caucaſi, primus docuit Philoſophiam in Oriente: ATHLAS frater eius Rex Affricæ docuit Aſtrologiam. HESPERVS, eorum frater regnauit in Italia, & HESPERIAM vocauit.*

## *REGNVM ATHENIENSIVM.*

*Sub Moyſe CECROPS, qui primus ibi regnauit, Athenas cõdidit, AEgyptũ ſubiugauit, cũ Pharao ſubmerſus eſt in mari rub.*

*Poſt hunc regnauit MENANDER.*

*Deinde (ſub Caleb) AMPITRION pater Herculis. Exin (ſub Othonicle) ERICTONIVS inuentor currus.* Inuentor currus.

*Poſt hunc PANDION pater PROGNES & PHILOMENAE.*

*Deinde AEGEVS.*

*Exin THESEVS.*

*Poſt hunc DEMOPHOON.*

*Poſt illum MNESTEVS.*

*Dein MELANTO.*

*Exin CODRVS. (ſub Samuele) qui ſe pro populo hoſtibus tradidit,*

*Poſt hunc magiſtratus populo præfuit.*

## *REGNVM AMAZONVM*

*Hac ætate Amazones in Aſia regnauerũt.*

*In primis MARSEPIA & LAMPETO, quæ Epheſum condiderunt.* *Epheſus cõditur.*

*Deinde SYNOPE.*

*Exin (ſub Thola) ANTIOPA, & HIPPOLITE.*

*Poſt hanc ORETRIA.*

*Poſt illam PENTESILA.*

*Hanc occidit PYRRHVS apud Troiam.*

## *REGNVM TROIANORVM ſub Otthoniel.*

*Hac etiam ætate DARDANVS in Phrygia regnauit.*

*Huic*

*Huic ſucceßit filius* ERICTONIVS *ſub Aioth.*

*Huic filius* TROVS, *à quo Troia.*

*Ipſi filius,* ILVS: *à quo Ilium.*

*Ei verò filius* LAOMEDON.

*Illi filius ſucceßit (ſub Iephte)* PRIAMVS *pater* HECTORIS *&* PARIDIS.

*Tunc Græci deſtruxerunt regnum Phrygiorum, quod ſtetit octingentos duos annos.*

## *REGNVM THEBANORVM.*

*Thebas CADMVS condidit, qui primus ibi regnauit, & Græcas literas reperit.* *Græcæ literæ repertæ.*

*Huic ſucceßit PENTHEVS.*

*Illi (ſub Gedeone) LAVS.*

*Huic OEDYPVS.*

*Illi ETHEOCLES, & POLYNICES.*

*Illi CREON.*

*Poſt hunc (ſub Iephte) THESEVS, qui Thebas deſtruxit.*

## *REGNVM CRETENSIVM.*

*In Creta ſub Ioſue regnauit SATVRNVS.*

*Poſt hunc* IVPITER.

*Deinde(ſub Aiot.)* MINOS.

*Exin* IDOMENEVS, *qui cum alijs Troiã obſedit. ſub Aiot.*

LIBER *in India. ſub Barach.*

PERSEVS *regnauit in Perſida, qui occidit Liberum.*

## *REGNVM MYCAENORVM.*

*Apud Mycenas regnauit* TANTALVS.

*Dein filius eius* PELOPS.

*Exin filius huius* ATREVS.

*Poſt hunc ſub Iephte filij* AGAMEMNON & MENELAVS.

*Poſt hos* ORESTES, *filius Agamemnonis.*

## *REGNVM ITALORVM ſub Moiſe.*

*In Italia regnarunt.*

*Primus* HESPERVS, *à quo* HESPERIA.

ENOTRIVS *filius Lycaonis ſub Caleb.*

DARDANVS.

ITALVS, *à quo Italia.*

SA-

SABINVS, à quo Sabini.

IANVS SATVRNVS, à quo Saturnia.

LATIVS PICVS, qui auguria reperit. *Auguria à quo reperta.*

FAVNVS.

EVANDER, cuius mater CARMENTIS Latinas literas reperit ſub Samſone

LATINVS unde Latini dicti.

*Poſt hunc deficit regnum Laurentium.*

## QVARTA AETAS.

### REGNVM IERVSALEM vel Iuda.

QVarta ætate decimus quartus ab Abraam. REX DAVID regnauit in Ieruſalem quadraginta annos.

*Hoc tempore claruit Homerus, & Carthago condita.* *Homerus.*

NATHAN & GAD Prophetæ.

SOLOMON, filius Dauid regnat quadraginta annos. Hic fecit primum templum in Ieruſalem.

ROBOAM, filius Solomonis regnat annos ſeptendecim.

*Huius tempore regnum Iſraël oritur.*

*Smyrna conditur ab Amazonibus.* *Smyrna.*

ABIA regnat tres annos.

Samus. *Samus conditur.*

*ASA regnat annos quadraginta vnũ.*

*IOSAPHAT regnat annos viginti quinque.*

*Helias Propheta claret.*

*Hoc tempore non pluit tribus annis.*

*Hic primus mortuum ſuſcitauit.*

IORAM *regnauit annos octo.*

*Heliſæus Propheta claret.*

*Helias tranſlatus.*

AZARIAS *regnauit vnum annum.*

ATHALIA *mater eius regnat 7. annos.*

IOAS *filius Azariæ regnat annos quadraginta.*

ZACHARIAS IOIADAE *filius lapidatur.*

AMAZIAS *regnat annos viginti nouem.*

*OZIAS regnat annos quinquaginta duos.*

*Iſaias, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas Prophetæ, clarent.*

Sybilla ſexta. *Huius tempore Sybilla ſexta claret.*

*Regnum Aſſyriorum in Medos transfertur, quod ſtetit per annos trecẽtos quinquaginta quinque.*

*Regnũ*

*Regnum Macedonum oritur.*

IOATHAM *regnat annos ſedecim.*

*Huius tempore Olympias inſtituitur, à Græcis, apud AElidem ciuitatem.* *Olympiades quādo inſtitutæ ſint.*

*Achaz regnat annos ſedecim.*

*Roma conditur.* *Roma cōdita.*

*Regnum Romanorum oritur.*

*Iſraël transfertur.*

EZECHIAS *regnat annos viginti octo.*

*Romulus Senatum cōſtituit, & annum.*

MANASSES *regnat annos quinquaginta quinque.*

NVMA *duos menſes adÿcit. A ſeruis occiditur.*

AMON, *regnat duos annos.*

ARION *Cithariſta claret.*

IOSIAS *regnat annos triginta vnum. à rege AEgypti occiditur.*

*Huius tempore Niniue deſtruitur à rege* CYAXARE, *quæ ſtetit à Nino Annis mille quadringentis, & ſeptuaginta.* *Niniue deſtruitur.*

SYBILLA *Samia claret, & Ieremias Propheta.* *Sybilla ſeptima Samia.*

IOACHAZ *filius Ioſiæ regnat mēſes tres.*

ELIACHIM *filius Ioſiæ regnat annos*

*vndecim.*

IECHONIAS, *qui & IOACHIM, filius Ioachim, regnat menſes tres.*

SEDECHIAS *filius Ioſiæ, regnat annos vndecim. Hoc tempore deſtructa eſt Ieroſolyma à Babylonijs. Poſt hunc defecit regnum Iuda: quod iam ſtetit per annos quingentos quadraginta nouem.*

*Hæc quarta mundi ætas à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonicam continet iuxta Hebræorũ veritatem annos quadringentos ſeptuaginta quinq;. Iuxta Septuaginta trãſlatores duodecim amplius generationes 14. Ab initio mundi. 4610.*

## *REGNVM ISRAEL.*

*Hac ætate regnauit in Iraël Ieroboam annos viginti duos.*

*Hunc vicit* ABIA *rex, & obijt.*

NABATH *filius eius regnat annos duos.*

*Hunc occidit* BAASA.

BAASA *regnauit viginti duos annos. Morbo interijt.*

*SELA filius eius regnat duos annos.*

*Hunc occidit* ZAMRI *ſeruus eius.*

*ZAM*

ZAMRI *regnauit ſeptem dies.*

*Hunc occidit* AMRI, *princeps militiæ.*

AMRI *regnauit duodecim annos in Samaria. Hic morbo periÿt.*

ACHAB *filius eius regnauit annos duos: Hic cecidit per Cancellos & obiÿt.*

IORAM *frater Ochoziæ regnauit annos duodecim.*

*Hunc occidit* IEHV *ſeruus Achab.*

IEHV *regnauit annos viginti octo, Morbo interyt.*

IOACHAZ *filius eius regnauit annos Septendecim, Morbo periÿt.*

IOAS *filius eius regnauit annos ſimiliter ſeptendecim.*

IEROBOAM *filius iſtius regnauit annos quadraginta vnum.*

ZACHARIAS *filius huius regnauit menſes ſex, Hunc occidit* SELLVM.

SELLVM *regnauit menſem vnum.*

*Hunc occidit* MANAHEN.

MANAHEN *regnauit annos decem. Morbo obiÿt.*

PHACEIA *filius eius regnauit 2 annos.*

*Hunc occidit* PHACEIA *dux eius.*

PHACEIA *regnauit annos viginti.*

*Hunc occidit* OSEE.

OSEE *regnauit annos nouem.*

*Hunc* SALMANASSER *Rex cum omni populo tranſtulit in Aſſyrios. Et ſic defecit regnum Iſraël, quod ſtetit per annos trecentos, quinquaginta.*

*In hac captiuitate fuit* THOBIAS.

## *REGNVM MACEDONVM ſub Ozia.*

*In Macedonia regnauit primum* KARANVS *annos viginti octo.*

*Cui ſucceſſit* PERDICCA.

*Huic* ALEXANDER.

*Deinde* ARCHELAVS *filius Perdiccæ.*

*Illi* AMYNTAS.

*Huic* PHILIPPVS.

*Illi (ſub Dario)* ALEXANDER MAGNVS.

*Huic* PHILIPPVS *frater Alexandri.*

*Illi* CASSANDER.

*Stetitq; regnum Græcorum per annos Septingentos, vſq; ad tempora Ptolomæi Phylometoris, & tunc defecit.*

RE

## REGNVM ALBANORVM.
### *ſub Samſone.*

*Apud Albam regnauit* AEneas *annos tres.*

*Hic Lauinium condidit, & fulmine periÿt, ſub Heli.*

Ascanivs, *qui &* Ivlvs *filius AEneæ, à quo gens Iulia.*

Sylvivs Posthvmvs *frater Aſcaniÿ regnauit annos triginta nouem. Ab hoc omnes reges Albæ Siluÿ dicti ſunt.*

AEneas Sylvivs *regnauit annos triginta vnum, ſub Dauid.*

Latinvs Silvivs *regnauit annos quinquaginta.*

Alba *filius regnauit annos triginta nouem. Ab hoc Albani reges.*

AEgyptvs, *vel* Epytvs, *vel* Atis Sylvivs, *regnauit annos viginti quatuor. ſub Aza.*

Capis Sylvivs *regnauit viginti octo annos. Hic Capuam condidit.* *Capua cōditur.*

Carpentvs Sylvivs *regnauit annos tredecim.*

Tiberinvs Syl. *regnauit annos nouem.*

*Ab hoc Tiberis flauius dicitur, quia in eo eſt extinctus, qui antea Albula eſt dictus.*

AGRIPPA SYL. *regnauit annos quadraginta.*

AREMVLVS SYL. *regnauit annos nouendecim. Hic fulmine interijt.*

AVENTINVS SYL. *regnauit annos triginta ſeptem. Ab hoc Auentinus mons dicitur.*

PROCAS SYL. *regnauit annos viginti tres, ſub Ozia.*

AMVLIVS SYL. *regnauit annos quadraginta tres. Huius frater erat* NVMITOR: *Eius filia* RHEA, REMVM, *&* ROMVLVM *genuit, qui occiſo* AMVLIO *Numitorem in regnum ſtatuit: Sub quo defecit regnum Albanorum, quod iam ſtetit per annos quadringentos quinquaginta.*

## *REGNVM ROMANORVM.*

*ROMVLVS condidit Romam, & primus regnauit annos triginta ſeptem. Hic fulmine interijt.*

*NVMA* POMPILIVS *regnauit annos quadraginta vnum.*

*Hic*

*Hic inuenit Necromantiam, & primus ſacra inſtituit. Morbo periyt.* Necromantia inuenta.

*TVLLVS* Hostilivs *regnauit annos triginta duos. Hic etiam fulmine interiyt ſub Ioſia.*

*ANCVS* MArtivs *viginti tres annos regnat. Hic Hoſtiam cōdidit, Morbo perit.*

*TARQVINIVS* Priscvs *regnauit annos triginta ſeptem. Hic Circum & ludos Romæ inſtituit. Hunc filius Anti occidit.* Ludi Circēÿ.

*SERVILIVS* Tvllivs *regnauit annos triginta quatuor. Hic à Tarquinio occiditur, ſub Cyro.*

*TARQVINIVS* Svperbvs *regnauit annnos viginti quinque. Hic regno expellitur, & Conſules creantur. Fueruntque reges per annos ducentos quadraginta tres.*

## *QVINTA AETAS.*

## *REGNVM BABYLONIORVM.*

*Quinta ætate apud Babyloniam regnauit NABVCHODONOSOR quadraginta quatuor annos.*

Sybilla octaua Cumana.

*Sybilla octaua Cumana claruit.*

*Ezechiel Propheta claret.*

*Filius eius* EVILMERODACH *regnauit annos octodecim.*

*Daniel, & tres pueri clarent.*

EGESAR, *huius filius regnauit annos quadraginta. Septem ſapientes clarent.*

Septem ſapientes.

LABOSORDACH *regnat menſes nouē.*

*Abacuc Propheta claret.*

BALTAZAR *regnauit annos ſeptendecim. Hunc* CYRVS *occidit, & Babyloniam deſtruxit.*

## *REGNVM PERSARVM.*

CYRVS *Perſarum primus regnat cum* DARIO *annos viginti quinq;.*

*Hic laxauit captiuitatem.*

Sybilla nona.

*Hunc regina Amazonum occidit.*

*Sybilla nona claret.*

CAMBYSES, *qui &* NABVCHODONOSOR *filius* CYRI *regnauit annos octo.*

Iudith, Babylon AEgyptiaca. Pythagoras.

*Huius tempore fuit* IVDITH.

*Hic condidit Babyloniam in AEgypto.*

SMERDES *Magus regnauit menſes 7.*

*Pythagoras philoſophus claret.*

DA

DArivs *regnauit annos triginta ſex. Aggæus Zacharias, & Malachias clarent.*

XErxes *filius eius regnauit annos viginti.*

*Sybilla decima Phrygia claret.* *Sybilla decima Phrygia.*

